This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 474937 DUPL

FROM THE LIBRARY OF
Professor Karl Heinrich Rau
OF THE UNIVERSITY OF HEIDELBERG
PRESENTED TO THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
BY
Mr. Philo Parsons
OF DETROIT
1871



POLYBII
HISTORIARVM

TOMI VIII. PARS POSTERIOR.

LEXICON POLYBIANVM.

17784

ΠΟΛΥΒΙΟΥ
ΜΕΓΑΛΟΠΟΛΙΤΟΥ
ΙΣΤΟΡΙΩΝ
ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

POLYBII
MEGALOPOLITANI
HISTORIARVM
QVIDQVID SVPEREST.

PARSONS LIBRARY University of MICHIGAN

RECENSVIT, DIGESSIT, EMENDATIORE INTERPRETATIONE, VARIETATE LECTIONIS, ADNOTATIONIBVS, INDICIBVS ILLVSTRAVIT

IOHANNES SCHWEIGHÆVSER
CIVIS GALLO-FRANCVS, ARGENTORATENSIS.

TOMI OCTAVI PARS POSTERIOR

CONTINENS

LEXICON POLYBIANVM.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
MDCCXCV.



INDEX GRÆCITATIS
POLYBIANÆ

SIVE

LEXICON
POLYBIANVM

AB

IS. ET MERICO CASAVBONIS

OLIM ADVMBRATVM

INDE AB

IO. AVG. ERNESTI

ELABORATVM

NVNC AD NOVAM POLYBII EDITIONEM
AB EDITORE ADCOMMODATVM
PASSIM EMENDATVM, PLVRIMISQVE
PARTIBVS AVCTVM.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
MDCCXCV.

ÆQVO LECTORI

IOHANNES SCHWEIGHÆVSER

S.

In concinnando Lexico Polybiano, quo finem nunc tandem imponimus bono cum Deo operæ noſtræ, inſtaurandis illuſtrandisque Polybii Hiſtoriis dicatæ, triplicem maxime uſum ſpectavimus ſtudioſorum Scriptoris noſtri Lectorum: grammaticum uſum, quo de ſermonis Polybiani vi ac ratione planius conſtaret; criticum, quo de ſelectu quem fecimus discrepantium lectionum, aut de emendationibus quas locis prorſus corruptis adtulimus, certius ferri iudicium poſſet; mnemonicum, quo iuvaretur memoria eorum, qui rei cuiusdam aut ſententiae apud Polybium olim a ſe lectæ meminerint, ſed, qua parte quove loco legerint, ut denuo evolvere poſſint, non recordantur.

Ita fit, fieri certe voluimus, ut, intuitu duorum quæ prima nominavimus commoda, fungeretur hoc Lexicon

POLYBII

HISTORIARVM

TOMI VIII. PARS POSTERIOR.

LEXICON POLYBIANVM.

17784

ΠΟΛΥΒΙΟΥ
ΜΕΓΑΛΟΠΟΛΙΤΟΥ
ΙΣΤΟΡΙΩΝ
ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

POLYBII
MEGALOPOLITANI
HISTORIARVM
QVIDQVID SVPEREST.

PARSONS LIBRARY University of MICHIGAN

RECENSVIT, DIGESSIT, EMENDATIORE INTERPRETATIONE, VARIETATE LECTIONIS, ADNOTATIONIBVS, INDICIBVS ILLVSTRAVIT

IOHANNES SCHWEIGHÆVSER
CIVIS GALLO-FRANCVS, ARGENTORATENSIS.

TOMI OCTAVI PARS POSTERIOR

CONTINENS

LEXICON POLYBIANVM.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
MDCCXCV.



INDEX GRÆCITATIS
POLYBIANÆ

SIVE

LEXICON
POLYBIANVM

AB

IS. ET MERICO CASAVBONIS

OLIM ADVMBRATVM

INDE AB

IO. AVG. ERNESTI

ELABORATVM

NVNC AD NOVAM POLYBII EDITIONEM
AB EDITORE ADCOMMODATVM
PASSIM EMENDATVM, PLVRIMISQVE
PARTIBVS AVCTVM.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
MDCCXCV.

ÆQVO LECTORI

IOHANNES SCHWEIGHÆVSER

S.

In concinnando Lexico Polybiano, quo finem nunc tandem imponimus bono cum Deo operæ noſtræ, inſtaurandis illuſtrandisque Polybii Hiſtoriis dicatæ, triplicem maxime uſum ſpectavimus ſtudioſorum Scriptoris noſtri Lectorum: grammaticum uſum, quo de ſermonis Polybiani vi ac ratione planius conſtaret; criticum, quo de ſelectu quem fecimus discrepantium lectionum, aut de emendationibus quas locis prorſus corruptis adtulimus, certius ferri iudicium poſſet; mnemonicum, quo iuvaretur memoria eorum, qui rei cuiusdam aut ſententiae apud Polybium olim a ſe lectæ meminerint, ſed, qua parte quove loco legerint, ut denuo evolvere poſſint, non recordantur.

Ita fit, fieri certe voluimus, ut, intuitu duorum quæ prima nominavimus commoda, fungeretur hoc Lexicon

Polybianum vice neceſſarii cuiusdam ſupplementi complementique noſtrarum in hunc Scriptorem Adnotationum; in quibus conſulto multa paſſim vel prorſus prætérita ſunt a nobis, vel levius perſtricta, quæ ex nuda inter ſe collatione variorum locorum, in Lexico colligendorum, ſufficientem per ſe lucem acceptura putavimus. Quo in conſilio ne vana me ſpe deceptum iudicent æqui peritique hoc in genere æſtimatores, eo minus equidem vereor, quo magis ipſi mihi, poſt ſatis etiam longam cum Polybio contractam notitiam, ſæpenumero uſu venit, ut, quæ loca vel parum mihi perſpicua etiam tum fuerant, quum Græca cum latina verſione prelo pararem, aut quum Adnotationes perſcriberem, eisdem locis, poſtquam elaborando huic Lexico extremam manum admovi, ad eamque vocem dictionemque perveni in qua ſita maxime difficultas erat, ſubito obortam lucem viderem; aut ut, quæ loca ſatis bene a me percepta, ac ſatis commode vel in latina verſione expreſſa vel in Adnotationibus illuſtrata mihi viſa erant, eadem loca nunc demum longe aliam habere rationem intelligerem. Quare bene multa in hoc Lexico loca inveniet ſtudioſus lector, quibus, quæ ſuperioribus voluminibus, ſive in Graeco contextu, ſive in ſubiecta Verſione, ſive in ipſis Adnotationibus, minus recte minusve commode poſita erant, retractantur, corriguntur, emendan-

dantur. Quod ſi qui forte occaſionem inde ceperint, levitatis crimen ac nimiæ feſtinationis nobis impingendi, quod priora illa immatura præpropere a nobis in publicum fuerint protruſa, videant hi primum, ne nimium moroſi ſint, ac pæne immodeſti dixerim, qui, niſi ea, quæ a me olim peccata mihi viſa ſunt, ingenue retractaſſem melioribusque mutaſſem, fortaſſe nihil magnopere ipſi fuerant reperturi quod in ſuperioribus illis reprehenderent, aut, ſi maxime odorati eſſent erratum aliquod, certam rationem adferendi remedii forſitan non erant habituri. Tum vero illud velim cogitent, ſi tantam operis molem, quanta erat hæc noſtra, nonniſi ea lege liceret ſuſcipere, ut vulgandi in publicum, quæ parata fuerint, initium facere non daretur prius quam cuncta intus fuiſſent ad finem perducta et omnibus numeris abſoluta, conſequens fore, ut multorum utiliſſimorum laborum fructu caritura eſſet res literaria, qui labores nunquam fuiſſent abſoluti, niſi pars aliqua operis in lucem primum emiſſa, veluti iacta ſemel alea, vel invitos traxiſſet auctores ad id, quod inſtituiſſent, conſtanter fortiterque perſequendum, et animum eis viresque ac patientiam addidiſſet, moleſtias omnes devorandi, difficultatesque cunctas, quæ cohortatim ſæpe aliæ ex aliis in longa reliqua via ſubnaſcuntur, feliciter ſuperandi.

De mnemonico uſu quod dixi, præſtare illum quidem uſum Hiſtoricus potiſſimum Index debebit: at occurrunt in ſcriptore multæ res atque ſententiæ, quæ in rerum Indice hiſtorico, niſi in immane volumen extendere volueris, commodum titulum locumque non inveniunt; præterea, quo minus locum aliquem, olim à nobis lectum, nunc, ubi requirimus, non reperiamus, obſtat ſubinde hoc ipſum, quod propriorum nominum ad quæ pertinet res quam quærimus, non ſuccurrit memoria: quod ubi fit, ſi modo verbum quod ſignatius dictionemve paulo luculentiorem ad animum revocaveris, quæ eo loco, quem quæris, continebatur, iſto quaſi filo, iuvante Verborum Indice, rem ipſam invenies. Ita Hiſtorici quoque & Rerum Indicis ſupplementum aliquod complementumque voluimus eſſe tunc Verborum Indicem; quem *Lexicon Polybianum*, Erneſto præeunte, inſcribere placuit. Vale.

Scripſi Argentorati, Calendis Germinalibus, Reipublicæ Gallo-Francorum Anno III. Chriſti Servatoris MDCCXCV.

ISAACI

ISAACI CASAVBONI
PRÆFATIO
AD SVAM POLYBII EDITIONEM. *

Quum a pluribus retro ſæculis in principum animis toto Occidente amor politioris litteraturae & Græci ſermonis exoleviſſet; accidit non ſine numine profecto, ut circa illa ipſa tempora Byzantinæ cladis, et paullo ante ſummi in Europa viri & principes generoſiſſimi hunc veternum, ceu virgula divina tacti, opportune excuterent, & ad bene merendum de ſtudiis politioribus & de linguis, ardore incredibili accenderentur. Prima terrarum Italia ad hanc palmam occupandam, e diuturno torpore tunc demum expergefacta ſeſe concitavit, & nationibus aliis per Europam exemplum, quod imitarentur, præbuit. In ipſa vero Italia ad certamen adeo glorioſum Nicolaus Quintus pontifex Maximus, in cuius extrema tempora Byzantini imperii everſio incidit, princeps, quod equidem ſciam, ſignum ſuſtulit. nam & literarum dicitur fuiſſe intelligentiſſimus, &, quod res arguit, earum amore flagrantiſſimus. Primus hic illa aetate libros antiquorum ſcripto-

* Caſauboni hæc præfatio continebatur Dedicatione ad Henricum IV. Franciæ olim & Navarræ regem ſcripta, quam in fronte ſui Polybii poſuit editor ille, de ſcriptore noſtro immortaliter meritus. Reſecuimus autem, cum de initio eiusdem dedicationis, tum de fine, complura quædam folia, quibus in alia argumenta evagata erat copioſiſſima viri docti oratio; & ea tantum cum emtoribus huius noſtræ editionis communicanda hoc loco duximus, quæ ad ipſum Polybium eiusque Hiſtorias propius aliquanto ſpectare viſa ſunt.

ſcriptorum ſedulo conquirere curæ habuit; magnamque earum copiam in Vaticanam intulit: primus cum aſſiduis hortatibus, tum ingentibus etiam propoſitis praemiis, ad meliorem literaturam e tenebris oblivionis in lucem revocandam, homines Italos ſtimulavit: primus, Græcæ linguæ auctores omnis ſincerioris doctrinæ eſſe promos condos, qui non ignoraret, ut Latino ſermone exprimerentur, vehementiſſime optavit & efficere contendit. Eſt ita natura comparatum, ut in magnorum operum inceptionibus, eorum antevertat cura, quæ eſſe proviſa ad ſummam totius propoſiti plurimum interſit. Ecquodnam igitur literarum genus, renaſcentibus diſciplinis, illius vindicis muſarum auſpiciis, primo reduci in vitam cœpit? hiſtoria: cuius fuiſſe hunc pontificem peritiſſimum, æquales illorum temporum affirmant. qui primi auctores Græcorum latinitate ſunt donati? hiſtorici: nam Herodotum & Thucydidem miniſter domeſticus Nicolai Laurentius Valla, rem ſæculo maiorem auſus, Romane loqui docuit. An ergo dubitamus, quodnam tantus pontifex de hiſtoriæ præſtantia iudicium fecerit? ego vero non ſolum magni ipſum doctrinam hiſtoricam æſtimaſſe, ſed etiam de toto hoc genere ſcriptorum recte ſciſſe iudicare, non dubitanter inde colligo, quod ex omnibus Græcis hiſtoricis illum præ ceteris habuit in delitiis, qui ut eloquentiæ laude uni aut alteri priorum fortaſſe eſt inferior; ita prudentia & propriis aliis hiſtoriæ omnibus numeris perfectæ dotibus, ſic excellit, ut pauci e cunctis, ſive Græcis, ſive Romanis, cum ipſo mereantur componi, anteponi certe nullus. Scriptor ille is ipſe eſt POLYBIVS, & a generis ſplendore, & ab inſtructu diſciplinarum, & a rebus geſtis, & ab ingenii monumentis, vir & philoſophus nobiliſſimus, idem pacis, idem belli artibus, idem ſtudiorum laude longe clariſſimus; patriæ ſuæ, reipubl. Achæorum, quondam bonis inſtitutis florentiſſimæ, cui huius pater Lycortas diu princeps præfuit, pars maxima: qui Scipioni Africano, a quo deleta eſt Carthago, a conſiliis amicus fuit, & in ea expeditione comes:

comes: qui in amicitiis regum, ducum, procerum, Græcorum, Romanorum, Aſiaticorum, Ægyptiorum, quoad vixit, primas tenuit: poſtremo poſtquam obiit, politicis, bellicæ rei ſtudioſis, veræ & legitimæ hiſtoriæ amantibus, dum ſuus literis honos ſtabat, unice delectus & probatus. Hunc communi fato omnium excellentium ſcriptorum, peſſime ſuperioribus ſæculis acceptum, et in noſtra Europa vix de nomine paucis notum, Nicolaus Quintus, vindex ille literarum primus, fecit tanti, ut eius reſtituti gloriam ad ceteros laudum ſuarum titulos voluerit accedere. Itaque partem illius librorum aliquam nactus, eius in Latinum ſermonem transferendæ, viro Græcæ & Romanæ linguæ, ut erat captus eius ætatis, non ignaro, munus delegavit. Magnificum eſt ad commendationem hiſtoriæ, quod, ubi primum literatura melior ex ipſis orci faucibus incipiebat eripi, omnium prima novæ lucis beneficium experta, ceteras honeſtas diſciplinas ad ſpem ſalutis erexit. Magnificum & glorioſum Polybio, quod inter omnes ſui generis ſcriptores, primus indulgentiam principis ad liberationem muſarum ſeſe accingentis promeruit. Sed nimirum rerum magnarum tardi ſunt progreſſus; raroque tam bene cum humano genere agitur, ut inceptа generoſa ab iis, qui ſuſceperunt, inoffenſo pede ſtatim ad finem perducantur. Quare etiam Nicolao, Polybii reſtitutionem molienti, multa ſunt oblata impedimenta, quo minus quod optabat poſſet perficere. Nam quum operis Polybiani, quod noſtra exhibet editio, tres ſint ratione certa diſtinctæ partes; unam dumtaxat harum pontifex Nicolaus habuit; duas reliquas, in rerum natura eſſe, ne ſcivit quidem. Iam ille eruditus Italus, quo ipſe uſus eſt interprete, partim ſæculi vitio, partim propria culpa, provinciam ſibi demandatam, ita geſſit male, facile ut appareat, non ob ſingularem aliquam eruditionem, in Græcis præſertim literis, Polybium interpretari fuiſſe iuſſum; ſed quia nemo erat, qui amplius ſciret, velut coclitem inter cæcos captum, qui in vacuam ſtationem pro tempore ſubſtitue-

ſtitueretur. Et is erat tamen Polybius, qui propter genus dictionis ac doctrinæ hautquaquam translatitiæ; maxime autem propter ſummam rei caſtrenſis peritiam & imperatorium quendam ſtilum, attentum cum primis, & diſciplinæ Tacticæ, totiusque militiæ Romanæ, Græcæ, Macedonicæ aliorumque populorum peritum interpretem deſideraret. Quarum omnium rerum cognitio, quam tenuis ac pene nulla in ætatis illius hominibus fuerit; quantis doctiſſimorum hominum laboribus e profundo ignorantiæ puteo fuerit poſtea educta, atque etiamnum educatur, nihil dicere attinet; rem nemini non notam. Quo magis equidem ſoleo demirari, a tam longo tempore, hoc eſt ab annis fere CLX. tam erudito ſæculo inſecuto, tanto doctorum tota Europa virorum numero, nondum aliquem extitiſſe, qui opus in ipſo principio παλιγγενεσίας literarum inchoatum, curaret perficere: neminem eſſe repertum ad hanc diem, qui, ſi adeo celebris famae apud veteres auctorem ſerio perpolire aggrederetur, operæ pretium ſe facturum putaret. Quamquam non ſane defuerunt viri præſtantes aliquot, Græci, Hiſpani, Itali, Belgæ, qui variis modis de Polybio mereri bene conarentur: alii publicandis, quæ prius viſa non fuerant; alii nonnulla explicando Latine; quidam ſelecta operis totius parte, in qua illuſtranda vires ingenii experirentur. quibus omnibus quum laus multo maxima debeatur; omnes tamen, ſi quod res eſt dicere volumus, ſitim lectorum exacuere, quam ſedare maluerunt. Non etiam defuere, qui in vulgares linguas tantum huius verterent, quantum Latine expoſitum inveniebant: ſi tamen vertere eſt, Romanæ interpretationis errores ſexcentos aliis totidem cumulare, atque interim Græcæ linguæ peritiam in prima libri fronte mentiri. Vnicam excipio Germanicam verſionem ab homine longe eruditiſſimo profectam: ſed quod res arguit & alia eiusdem ſcripta teſtantur, variis ſemper curis occupato. At univerſum opus Latinum facere, laceri corporis membra hactenus diſiecta & diſſipata in unum colligere, atque invicem

vicem colligare, rerum aut verborum difficultates explanare, latentes in abdito opes reſerare, & quod maxime fuerat optandum, huius hiſtoriæ uſum & præſtantiam demonſtrare, nemo dum eruditorum inſtituerat. Cedreni, Zonaræ, Simocati, Glycæ, Manaſſæ & alii eius farinæ, ſive Græci, ſive Latini quam plurimi, legitimæ hiſtoriæ, ſi verum amamus, dehoneſtamenta, ſuos aſſertores invenerunt; Polybius, ſitu & ſqualore obſitus, in tenebris iacet; Græce neſcientibus parte aliqua tantum ſui notus, idque perperam; parte alia, ne ſic quidem. ille inquam Polybius, cuius in philoſophia doctrinam, in moribus probitatem, in hiſtoria prudentiam, Cicero, Strabo, Ioſephus, Plutarchus, Deus bone, qui quantique viri! & optimus quisque veterum dilaudant. cuius fidem T. Livius, ille Romanæ longe princeps hiſtoriæ, tantopere probavit, ut pene ad verbum libros illius integros verteret, atque iis pro ſuis uteretur, quem M. Brutus, ſeverus ille morum ſcriptorumque cenſor, cui ne ipſe quidem M. Tullius ſatisfacit, adeo eſt admiratus, ut eius lectioni propemodum immoreretur: ultimis certe ſuis temporibus, iisque afflictiſſimis ad ſolatium doloris pariter & magiſterium vitae, hiſtoriam illius excerperet atque in compendium redigeret, quem denique Conſtantinus imperator, corporis hiſtorici, de quo antea mentionem fecimus, auctor, ſenatoribus, ducibus & principibus tam utilem iudicavit, ut qui e Diodoro Siculo, Dionyſio Halicarnaſſeo, Ioſepho, Dione Cocceio & aliis primæ notæ hiſtoricis pauca admodum ſeligeret, quæ in ſuum pandecten transferret; Polybium prope totum deſcriberet atque operi illi ſuo inſereret. Vtinam vero aut illi Auguſto eius incepti nunquam veniſſet in mentem; ea quidem lege, ut integro hoc ſcriptore frueremur: aut ſi hoc nobis carendum erat bono, corpus ſaltem ab illo compoſitum hodie haberemus. Sciremus, quantus civilis prudentiæ, quantus diſciplinæ militaris doctor habitus ſit olim Polybius. quarum rerum documenta conquirenti undique Conſtantino, plura multo unus hic ſuppeditavit,

tavit, quam ceteri omnes ſimul, e quorum libris florilegium illud polſticum fuit conflatum. argumento ſit, qui ſolus hodie ſupereſt eius titulus, e tribus & quinquaginta, legationum excerpta continens: cui tertiam partem editionis noſtræ debemus totam: facili coniectura, quid eſſemus debituri, ſi opus univerſum alicubi inveniretur atque in publicum ederetur. Enimvero quum dos præcipua, quæ Polybium antiquis commendabat, non in eloquentia nuda & verborum fucatorum lenocinio, ſed in rerum politicarum & militarium exquiſita explicatione ſit poſita; cuius gratia viri principes & politici omnes olim in pretio magno eum habebant; quia longe diverſa hodie ſtudiorum ratio obtinet, evenit, ut his præſtantiam illius parum intelligentibus, verborum & linguæ dumtaxat ſtudioſi, patienter eo carerent. Loqui enim, non vivere, plerique omnes hodie diſcimus, & hiſtoriam, quæ vitæ magiſtra audit, non ad vitam formandam referimus: ſed vel ad linguarum alicuius notitiam, dicendive facultatem augendam, vel ad rerum antiquarum cognitionem percipiendam. atque ut politicam & moralem philoſophiam, *in qua conſilium vitæ regimenque locatum*, aut omnino non docemur, aut non niſi diſputandi cauſſa: ſic & hiſtoriam, quæ practica quædam philoſophia eſt, non ut utamur diſcimus, verum ut ſciamus; plane iis non diſſimiles, qui aurum, argentum & regias gazas parare norunt; artem utendi fruendi partis, neque ſciunt, neque vel ſaltem de ea cogitant: ſimiles item iis, qui ſacros aut medicorum libros multa lectitant cura, non ut animo corporive medicinam faciant; ſed ut ingenito morbo curioſitatis ſciendi multa ſatisfaciant. Quod non invenuſte magiſtri Hebræorum de lege Moſis dicunt, cor & corticem illi ineſſe; non immerito de hiſtoria quoque uſurpetur. Doctrina politica & ſcientia militaris, aliaque egregia documenta, quæ legitima hiſtoria ſui cultoribus affatim ſubminiſtrat, inſtar cordis ſunt: atque huic parti qui attendunt, cordatos fieri neceſſe. orationis elegantiam & antiquitatis notitiam, prae illis, quid

aliud

aliud niſi corticem appellemus? Sunt ſane apud Thucydidem, Xenophontem, hunc noſtrum Polybium, dictionis virtutes multæ eæque eximiæ: ſunt etiam multa in eorum operibus cognoſcendæ antiquitatis cupidis ſcitu neceſſaria. ſi quis tamen propter iſta ſolummodo hiſtorias illorum requirit; næ ille cor non habet, neque umquam per iſtud quidem ſtudium habebit: ſed merum tantum corticem leget. Quid magis ridiculum, quam Iulii Cæſaris commentarios, divinum opus & maximarum atque utiliſſimarum rerum doctrina fœtum, ea ſolum fine lectitare, ut loqui Latine diſcamus? aut ut Romanæ linguæ puritatem & verborum proprietatem obſervemus? mihi quidem ſimile facere videmur, ut ſi quis arboris alicuius præſtantiſſimæ fructibus veſci aſpernetur; florum amœnitate ſe oblectet. Et tamen, qui hodie veteres hiſtoricos aut voce viva, aut ſcriptis ſuis interpretantur, quid niſi hoc unum curant? quid illi, qui dies totos & tempus omne ſuum tranſeundis hiſtoricorum voluminibus inſumunt? quorum ut quisque plurima tenet, ac pectus ſuum locupletiſſimam hiſtoriæ bibliothecam fecit, ad vitæ officia muniaque obeunda plurimum eſt ineptus. Deſinamus igitur mirari, quid cauſſæ ſit, cur hodie e lectione hiſtoriarum nemo eum fructum ferat, quem tulit olim Lucullus: in promtu ratio eſt, nemo illam ut Lucullus legit, nemo ea fine. Itaque ergo eo ſtudia videmus rediiſſe, ut qui ſtrenuiſſimi rerum actores cenſeri volunt, hi adeo non ſint veteris memoriæ ſtudioſi, ut e contrario etiam contemtum illius ultro præ ſe ferant. Quid prius querar neſcio, hiſtoriæ ne vicem, quæ olim in clara verſans luce, regum & principum ac nobilium procerum familiaritate intima frui ſolita; ſapientiam et vitæ artem eos docere, dignitatem ab illis accipere: nunc velut naturæ prioris oblita & ad vitæ actiones facta inutilis, hominibus privatis pulverem ſcholaſticum terentibus, et in umbratico otio deliteſcentibus eſt derelicta. an potius nobilium adoleſcentium errorem doleam, qui falſa perſuaſione ducti, unicum hoc ſibi proprie conve-

 venien-

venientis diſciplinae genus, maximum rerum gerendarum inſtrumentum, habent contemtui. O quis ille erit, qui opera eadem priſtinum hiſtoriae ſplendorem reſtituet, & nobilitatem Gallicam ex hoc errore in viam rectam ſiſtet? illa quidem literas non odit; *non obtuſa adeo geſtamus pectora Galli:* ſed quarum literarum verus in utendo eſt fructus; quia nullum earum videt uſum pene dixerim, merito contemnit. Nihil erravero, ſi dixero, intereſſe, ut generoſi iuvenes, quos maiorum imagines, aut impetus animi, & vivida vis ingenii ſpondent ad rempubl. ituros, errore tanto liberati, ſtudii huius beneficio utantur, quo ad iuſſa capeſſenda paratiores & omnibus rebus inſtructiores accedant. Liberabuntur autem, ſi perſuaderi ſemel illis potuerit, ut magnum hunc ſcriptorem in conſilium adhibeant; eius in ſumma doctrina parem prudentiam, non deguſtare ſummatim, ſed penitus velint imbibere. Quo maxime opus habent, docebit eos Polybius, non ſolum quam uberes fructus ad rationes vitæ geſta maiorum ſint ipſis allatura; verum etiam quo pacto percipere illos ſint valituri. Eſt utique proprium hoc eximio huic auctori, quod duo ſimul pari fere cura agit, ut narret ac moneat. bene ac perſpicue narrandi laus, cum ceteris præſtantibus hiſtoricis illi communis; fideliter monendi cum paucis: aut ut verius dicam, cum nemine. Nego enim ex univerſo numero Græcorum aut Romanorum generis huius ſcriptorum, vel unicum poſſe reperiri, qui pari fide & cura duo hæc coniunxerit. quid miremur? perſonam hiſtorici cum aſſumſit Polybius, non in totum exuit philoſophi. Philoſophus enim erat, ſed vita, non lingua: operibus, non ſermonibus: rebus ipſis, non profeſſione & inani ſpecie. porro ut poetæ fingendo, hiſtorici narrando, ſic philoſophi monendo & præcipiendo vitam hominum corrigere propoſitum habent. Iure igitur ſuo eſt uſus, cum diverſa munera in unum coniungens, qua narrando, qua monendo ſimul humano generi prodeſſe eſt conatus. narratio, cognitione rerum variarum lectorem inſtruit:

inſtruit: monitio, prudentia, quæ obſervatione aſſidua colligitur cauſſarum, eventorum & omnium rerum in vita hominum evenire ſolitarum. Praeclare Peripatetici dicunt, generari prudentiam ἐξ ἐπισκέσεως, obſervando: & fore prudentem, quisquis fuerit ἐπισκατικὸς. obſervandi ſtudioſus: ac vice verſa omnem prudentem eſſe ἐπισκατικόν. Plena eſt Polybii hiſtoria talium animadverſionum; quæ brevi compendio lectorem ad prudentiam recta ducunt, & illius divae ſacris initiant. Mirum vero quo ſtudio, qua ſollicitudine, quo affectu id genus monitiones, quoties datur occaſio, inſerat. Vere philoſophum, id eſt, parentem communem humani generis dicas, qui modo cunctis mortalibus in univerſum ſalutaria dictat præcepta; modo privatim hanc aut illam gentem familiarium ſibi peccatorum admonet. Sic Mantinenſibus, Cynæthenſibus, Eleis atque aliis Græciæ populis, pertinentia ad propriam cuiusque illorum ſalutem, dat conſilia. Sic Romanos, ut obſtinatae et praecipiti pervicaciae, ſæpe ipſis exitiabili, modum ſtatuant, graviter commonet. Sic Græcos omnes non ſemel hortatur, ut Romanorum in fide maneant; ſtatum præſentem ne ſollicitent; otium quo abundabant, cura publicarum omnium rerum ad victorem populum translata, ceu opportuna occaſione utantur ad ſtudia excolenda, non inertium literarum, ſed βιωφελῶν, & ad vitæ actiones utilium. Quin etiam apparet, atque hoc ipſe non ſemel teſtatur, cauſſam ſcribendi huius ingentis quondam operis, vel præcipuam eum habuiſſe, amorem patriæ; ut contumaces & ad rebellium pronos ſuorum animos, parum adhuc ſervire aſſuetos, ad pacis, qua fruebantur, etſi ſub alieno imperio, firma & beata, amorem traduceret. Propterea in rebus geſtis exponendis id unice ſpectavit ſemper, ut Græcis fidem faceret, non fortunæ munus eſſe Romanorum imperium, ſed vera illos virtute id ſibi peperiſſe, fruſtraque adverſus illos arma cogitari, quos in illa ſtatione ipſa ſuis quaſi manibus virtus collocaſſet. Et tamen idem hic patientiae ſuaſor, quamdiu ſpes aliqua reſtabat

poſſe Romanis obſiſti, multo ante patriæ caſum proſpiciens, nihil prætermiſerat, quo poſſet progreſſus illorum impediendo, imminentem reipubl. Achæorum ruinam aut arcere, aut tardare. Verum fatis omnia ad Romanos trahentibus, rectis ſuis conſiliis Polybius, non tantam gratiam a civibus iniit, quantam bello Perſis offenſam apud Romanos contraxit: quam mox Romam accitus, longi exilii tædio expiavit. Sed enim, *qui per virtutem peritat, non pol interit:* ſaluti fuit clarituda nominis bonis collecta artibus, & illa ipſa, quæ adflixerat virtus. Igitur deprecatoribus apud ſenatum uſus Catone Cenſorio, Scipione Æmiliano, et aliis Romanis proceribus, libertati reſtituitur Polybius, qui libertatis potitus, ubi ſemel apud ſe conſtituiſſet, nullam Achæis ſuis, niſi in amicitia Po. Ro. ſpem ſupereſſe, ad colendam bona fide maieſtatem illius populi converſus, pro ſua ſapientia ſuis ipſe moribus ſibi fortunam finxit. Nam patria quidem ipſius aliquanto poſt immani ſua culpa exitium ſibi concivit; bello Achaico a Mummio deleta, & Achæorum ſoluto concilio; quum interim Polybius tranquillitate illa frueretur, quam ſuamet ipſe prudentia & admiranda ſapientia ſibi quæſiverat. Idem, quum in urbe dominatrice multos annos Scipioni, Lælio & aliis ætatis illius viris primariis, privatim charus vixerit; patribus quoque acceptus, & unice probatus; gratia, qua pollebat apud principes Romani nominis, non ad opes ſibi ſtruendas, more multorum, eſt uſus: verum in occaſionem vertit, partim res magnas gerendi; ut cum Scipioni Carthaginis excidium in Africa molienti, comitem ſeſe, & conciliorum laborumque omnium participem præbuit: quo etiam tempore, claſſe a Scipione accepta, mare Atlanticum ſcrutandi illius orbis cauſſa, eſt circumvectus: partim bene de hominibus, præſertim Græcis ſuis, merendi. Teſtimonio ſint ſtatuæ cum ampliſſimis titulis per oppida Græciæ, quod ſcribit Pauſanias, illi poſitæ. Dicat hoc ipſum & civitas Locrorum in Italia, quæ huius ope immunitatem duriſſimorum onerum nacta, quorum præ-

præſtationem ex legibus datæ pacis Romani exigebant, vitam & fortunas omnes ſuas uni Polybio ferens acceptas, in eo ornando nullum excellentis honoris genus prætermiſit. Sed omnia beneficia, quæ a quoquam mortalium proficiſci poterant, vicit ſcriptio huius hiſtoriæ; in eum præcipue, ut modo dicebamus, ſcopum directæ, quo civibus civis prodeſſet, ac bonam illis mentem & prudentiam ingeneraret. Fuit omnino in hoc viro naturalis quædam bonitas & efficax erga omnes homines humanitas. cuius celebratur vox divina, conſilium dantis Scipioni ſuo; quoties foras prodiſſet, ne domum prius rediret, quam aliquem ſibi benefaciendo amicum adiunxiſſet. o hominem publico omnium hominum bono natum! o dignum maximi cuiusque regis aut imperatoris conſiliarium! etenim quum plurimis amicitiis fortuna principum indigeat, præcipuum eſt iudicio ſapientium principis opus, amicos parare. Ab hoc igitur fonte & illud ingens manavit ſtudium efficiendi, ut fructum ex hiſtoria ſua omnes, qui legerent, quam uberrimum perciperent. inde illa tot documenta, tot monita, quibus hoc opus, ceu intertextis gemmis nitet. Quis autem erroris dedignetur monitorem, quem Scipio Africanus, quem multi reges non ſunt dedignati conſiliorum auctorem? probitatem vero Polybii, recti honeſtique amorem, & vitii odium, nemo ſatis pro merito hominis laudaverit. Vni æquus virtuti, pari tenore opere toto, præclara facta ubique extollit, ſecius admiſſa, gravitate quadam cenſoria, non arguta declamatione ad oſtentationem ingenii, carpit & deteſtatur. Fidem, candorem, integritatem in dictis factisque paſſim commendans, qui iis utantur, viros bonos pronuntiat; verſutos, veteratores, vafros & dolorum architectos, nusquam non abominatur. Malitiam aſtutam, quæ fere politicis hominibus prudentia dicitur, tanta ſeveritate, tot locis, tam ſerio inſectatur, κακοπραγμοσύνην vera appellatione indigetans, ut vel eo dumtaxat nomine bonorum omnium amore, ſtudio ac lectione iugi, ſit unus omnium hiſtori-

corum dignissimus. Neque tamen is est Polybius, qui supercilium quoddam Stoicum, aut rusticam simplicitatem, ad iudicandum de actionibus hominum politicorum afferat. faciunt hoc umbratici quidam sophi, rerum humanarum imperiti, ac propterea iniqui persaepe virorum magnorum censores, quorum rationes non capiunt. Sciebat homo negotiorum callentissimus, & tanto usu præditus, quid sit discriminis ponendum inter eam, quæ simpliciter dicitur prudentia, & περισατικὴν, cuius consilia, ut necessitate temporum expressa, & sapientes excusant; prudentes vero etiam laudant. atque hæc est, quam solet πολιτικὴν συνυπόκρισιν nominare, quoniam aliud simulatur, aliud agitur: res toto genere diversa ab illa veteratoria malitia, ut in nostris commentariis diligenter exposuimus. Discant igitur ab hoc doctore iuvenes studii politici candidati veram prudentiam & eius leges; non ab illo Etrusco, in opprobrium religionis christianæ nato; cui probitas, fides, integritas atque adeo in Deum pietas, o seculi dedecus! inania sunt sine re nomina, prudentia, ars fallendi; politica doctrina, instrumentum inhumanæ tyrannidis. Discant & qui ad scribendum res gestas animum applicant, præcipuum annalium munus esse, uni favere virtuti, unum odisse vitium; illam esse legitimam, & æternitate dignam historiam, cui unum bonum honestas; unum malum turpitudo. Sed probitatem huius viri illa eximia æquanimitas manifestissime arguit, quam in reprehendendis antiquioribus, qui ignoratione, non malitia lapsi fuerant, semper adhibet. sic enim errores tollit, ut eorum, qui errarint, famæ nihil propterea velit detractum. quin etiam gratias illis agere se, plurimumque eos mirari profitetur, quod etsi errassent, tentando tamen & conando viam posteris perveniendi ad verum indicaverint. Scias vera virtute fuisse præditum, qui causam scribendi solam habuerit publicam utilitatem & errores vitæ corrigendi desiderium. Porro amori virtutis studium veritatis necessario semper est coniunctum: neque enim virtus

tus eſt, cuius non ſit origo veritas: nec vitium, quod non a mendacio ſumat initium. Veritas nullius non doctrinæ eſt fundamentum; veræ ſapientiæ mater, legitimæ, nec præpoſteræ, prudentiæ comes individua; fidei & ſocietatis hominum ancora; omnis boni & honeſti, ut aiebat Plato, ἡγεμονίς. Quod ſi recte attendimus, ſcire hominum aliud nihil eſt, niſi poſſe veritatem rerum contemplari, ſive quæ ſunt, ſive quæ fiunt, qua mente philoſophi antiquiſſimi ſapientiam definiebant, ἐπιστήμην τῆς ἐν τοῖς οὖσιν ἀληθείας. Simillime & hiſtoriæ naturam illi demum capiunt, qui ſciſcunt eſſe veritatis illarum rerum notitiam, quas mortales gerunt. Græca eruditio τὰ γινόμενα vel τὰ πραχθέντα vocat. Regulam certe unicam, atque adeo animam hiſtoriæ veritatem eſſe, omnes, qui de ea ſunt locuti, conſentiunt. Hiſtoria, inquit Diodorus Siculus, προφῆτίς ἐστι τῆς ἀληθείας, deæ veritatis ſacerdos eſt & propheta. Dionyſius Halicarnaſſeus idem, ἱερὰ ait τῆς ἀληθείας ἡ ἱστορία· qui etiam alibi pronuntiat, veritatem hiſtoricam eſſe totius prudentiæ & ſapientiæ principium. quod & ille magnus auctor ſenſit, qui hiſtoriam eſſe dixit *univerſæ philoſophiæ quaſi metropolin.* Sed ut pulchra omnia, quod proverbio dici ſolet, difficilia ſunt; ita veritas hiſtoriæ, res omnium pulcherrima, eadem & inventu difficillima eſt; & poſtquam inventa, quo minus proferatur in medium, maximas difficultates experitur. quod latet, partim malitia ſit hominum, qui prava ſua facta ſileri, atque hoc pacto ignominiam lucrifacere volunt: partim incuria etiam eorum, qui res gerunt memoria & laudatione dignas. Iam quum propter has ipſas cauſſas geſtorum ſcriptores nulli labori, nulli ærumnæ, addo & nulli impenſæ, quod de Thucydide & Theopompo legimus, parcere deberent, ut veritatem illarum rerum eruerent & aſſequerentur, ad quarum narrationem ſeſe parant: paucos tamen ab omni ævo ſit nominare, qui huius diligentiæ gloriam ambiverint. plurimos contra omnibus ſæculis, qui res parum ſibi compertas poſteris tradere aggreſſi, falſa pro veris traderent;

alii ignoratione & ſecuritate; alii vitio huic pari credulitate: plures & mentiendi libidine; quos aut turpis ſpes lucri, aut gratia, aut odium corruperat. Hic eniminvero ſcriptorem hunc præſtantiſſimum omnes æquos iudices demirari, convenit, qui ſtudio vera narrandi nullum laborem umquam refugit. nam & in remotiſſimas oras peregrinatione, ob id ipſum ſuſcepta, Aſiam, Africam, Europam luſtravit: Atlanticum quoque Oceanum navigavit. ut de Hannibalis itinere ſibi comperta narraret, Galliam & Alpes viſit: ut de Scipionis rebus in Hiſpania geſtis digna fide proderet, Carthaginem novam adiit, loca ſingula cum cura inſpexit, Hiſpaniæ pleraque oculis uſurpavit. quin & linguam Romanam Polybius didicit; atque antiquiſſima monumenta, quæ vix pauci e Romanis civibus intelligebant, e Capitolina æde ut promere ſibi liceret impetrato, in ſermonem Græcum transtulit; ac Romanos ipſos proceres ſuæ civitatis iura docuit, quæ ipſi ignorabant, & Fabius quoque Pictor, ſenatorii vir ordinis, ignoraverat, qui de Punicis bellis ſcripſerat. Ad hæc Polybius, ne nimis antiqua & parum explorata, atque ut ipſe ait, *αἰσῶν ἐξ αἰσῶν* ſcribere cogeretur, hiſtoriæ quam ſuſcipiebat terminos poſuit, ſuam aut patrum memoriam. multa ergo illorum, quæ ſcribit, præſens ipſe vidit; certe nihil ſcripſit, de quo illos non poſſet conſulere, qui rebus gerendis interfuerant. Adeo qui nullam perfectæ hiſtoriæ legem negligebat, illam omnium maximam, quæ vera ſcribere præcipit, ea fide cuſtodiit, ut liquido conſtet nobis, non ſolum rationem ipſum habuiſſe veritatis, ſed etiam toto affectu illam amaſſe, & religione quadam coluiſſe. Non eſt dubitationi relictus locus: ipſe ſuam mentem nobis aperuit; idque verbis graviſſimis, quæ merito Brutus, ſive quis alius, digna ſuo calamo iudicavit, nos quoque digna cenſemus, quæ hic deſcribantur: *exiſtimo equidem*, ait, *naturam humano generi* VERITATEM *conſtituiſſe numen maximum, maximamque illi vim attribuiſſe. Nam quum ab omnibus oppugnetur, atque adeo omnes nonnunquam* veri-

veriſimiles coniecturæ a mendacio ſtent; ipſa per ſe neſcio quomodo in animos hominum ſeſe inſinuat, et modo repente ſuam illam vim exerit, modo tenebris obtecta longo tempore, ad extremum ſuapte vi ipſa vincit obtinetque, & de mendacio triumphat. En animi veritatis amore ſtupentis teſtimonium luculentiſſimum. Huic autem dicto mirifice congruit tota eius hiſtoria, amorem enim veri, odium falſi ſexcentis locis conſtanter profitetur. Fuit Polybii ſententia, ſcriptori hiſtoriæ nihil veritate antiquius eſſe debere: non ad gratiam, aut odio cuiusquam, non reſpectu ullius, ſive privatæ, ſive publicæ amicitiæ; non denique ulla charitate erga parentes aut patriam; cuius ſanctiſſimum in terris eſt nomen, veritatem profeſſum, & ut ipſe loquitur, τὸ τῆς ἰσοφίας ἦθος ἀναλαβόντας, debere adduci, ut vel latum, quod aiunt, unguem a vero recedat. In cetera quidem vita, ait ille, amicorum eſſe amantem ac patriæ, laudo: in ſcribenda vero hiſtoria, etiam harum charitatum affectus exui volo: volo vni fidei conſuli, &, vel cum diſpendio exiſtimationis amici, parentis, patriæ, uni litari veritati. Duram legem, aliquis dicet. ſed eſt tanti veritas; quam tollere, aut per ſpeciem cuiusdam ψευδωνύμου prudentiæ, vel mendacii officioſi, violare, tanto maius neſcio quid eſt, quam ſolem de mundo tollere; quanto Deus creator omnium, totius veritatis auctor, atque adeo ipſa veritas, ſole maior. Hanc legem quum principio operis ſibi pariter & omnibus annalium conditoribus impoſuiſſet; per univerſam deinceps ſcriptionem exactiſſime ſemper & religioſiſſime eam ipſe ſervavit: neque fuit quisquam adeo illi charus, cuius gratia libertatem ſuam & παῤῥησίαν obliviſceretur. Aratum Sicyonium reipubl. Achæorum principem, paullo ante huius ætatem Græcia omnis erat mirata; virum integritate, induſtria, rectitudine conſiliorum, ac plerisque aliis magni politici ducisque laudibus, præ ceteris æqualibus ſuis, ornatum. Achæi vero tot beneficiorum ab Arato in ſuam rempubl. collatorum memores, fato functum ad ſempiternam memoriam

conſecrarunt, & omnes heroibus deferri ſolitos honores ei decreverunt. Hunc talem virum Polybius præcipue videtur ſuſpexiſſe, quod ex locis plurimis operis iſtius facile poteſt intelligi. at non eo ſecius tamen Arati peccata commemorat; tardum in conſiliis excogitandis vocans; ignavum in rerum inceptionibus, parum firmum ad micantium gladiorum conſpectum, ſalutis ſociorum negligentem, auctorem unicum cladis ad Caphyas acceptæ: neque parcit dicere, tropæis illum contra ſe poſitis totam Pelopis peninſulam impleſſe. Philippum Demetrii F. regem Macedoniæ modo laudat, modo vituperat: et utrumque facit exquiſite. iudicii vero inconſtantiam non ſemel deprecatur; graviſſimasque huius varietatis cauſſas, & cum de hoc, & cum de Arato loquitur, profert in medium. Nulli videlicet mortalium ita ſuperos indulſiſſe, ut non interdum, ſi minus ſæpe, aliud agat, aut male agat. quin humani ingenii eam eſſe conditionem, ut non ſolum in diverſis virtutibus idem homo appareat alius atque alius: ſed etiam in eadem ſæpe aliquis ſibi ſit diſſimilis. idem fortis in defendendo; ignavus in aggrediendo, animoſus in ſingulari pugna; cunctator in publica, ad Martem apertum aptus; ad inſidias ineptus, audax in terra, trepidus in mari, conſtans adverſus irruentem hoſtem; pavidus in excipiendo cervo aut apro. Mens præterea unicuique talis, (divinitus Homero dictum) quam in dies ſingulos Deus ſuggerit. non igitur perſonas agentes ſpectare hiſtoricum debere, ſed factis orationem ſuam adæquare. Vt enim Phidias materiam ad ſtatuas, aurum vel argentum ab Athenienſibus ſumere ſolitus, non ipſe domo ſuppeditare; & floridos colores dominus pingenti olim præſtabat; ſic rerum geſtarum ſcriptores, non faciunt ipſi operis ſui materiem, poetarum more, ſed ab iis accipiunt, qui ſcribenda geſſerunt. Ergo etiam optimi quique viri interdum venient culpandi: peſſimi quique, rarenter fortaſſe, at venient tamen nonnunquam laudandi. Eapropter reprehenſus a noſtro eſt Timæus, ille hiſtoricorum maledicentiſſimus,

mus; quod Agathoclis tyrannorum omnium, quos Sicilia tulit, immaniſſimi, dotes ingenii & facta laudabilia vel diſſimulaſſet, vel in contrarium detorſiſſet, an Polybius vir integerrimus tyrannidem Agathoclis probabat? ille vero non magis hunc probabat, quam Aratum oderat. Sed aliud eſt tyrannidem commendare, aliud egregie factorum exempla, a quocunque tandem profecta, ſive amico, ſive hoſte, aut excellentem ingenii præſtantiam, non ſinere indictam. cauſſam affert Polybius, quia fallere non minus videtur, qui geſta præterit ſciens, quam ille, qui nunquam facta fingit. Pari item ratione Sozomenus eccleſiaſticæ hiſtoriæ auctor, orthodoxorum hominum contentiones, iurgia, perfidiam multorum, & alios defœdos nævos narraturus, ἐθελοπάθειαν προαιρέσεως opinionem deprecatur: non enim illa ſe ſcribere, quod voluptatem ex talibus caperet, ſed volentem nolentem, quoniam infecta reddere, quæ facta eſſent, non poſſet; quæ geſta autem eſſent, ſilere, hoc vero eſſet veritatem prodere & hiſtoriæ legitimæ iura corrumpere. μάλιστα, inquit Sozomenus, τῆς ἀληθείας ἐπιμελεῖσθαι χρεών, διὰ τὸ τῆς ἱστορίας ἀκίβδηλον. & iterum, πάντα δεύτερα ποιεῖσθαι τῆς ἀληθείας τὸν συγγραφέα προσήκει. Iuvat enim adhuc commemorare candoris Polybiani teſtimonium, ſed inſigne. Erat reipubl. Achæorum vetus cum regibus Ægypti fœdus, quod cum ſingulis eorum, modo conditionibus iisdem, modo multum diverſis, fuerat renovatum. Accidit Olympiade CXLVIII. ut Ptolemæus Epiphanes, ea de re legatum Demetrium ad Achæos mitteret. Sciſſa tum erat reſp. illa in factiones duas; quarum alterius principes cenſebantur Philopoemenes & Lycortas, noſtri pater: alterius cum alii, tum Ariſtænus quidam. Quum parti Philopoemenis amicitia Ægyptii probaretur; fit decretum de renovando fœdere, eaque ſine Lycortas ad Ptolemæum mittitur. it Lycortas, redit, legationem renuntiat. Ariſtænus, qui fœderis ſimpliciter fieri mentionem audiret; gnarus plures ac diverſas pro temporibus fuiſſe eius formulas;

petit

petit in concilio a Lycorta, ecquodnam e multis fœdus eſſet inſtauratum? ad hanc inimici vocem ſilere Lycortas, nec quod mutiret invenire. evenerat enim ſtupenda quadam Philopoemenis atque ipſius negligentia, & conſiliariorum Ptolemæi parili ſtupore, aut quod potius arbitrer, & verius eſt, aſtu, ut totum illud tanti momenti negotium, temere, ſine ulla diſtinctione tranſigeretur, quod graviſſimum peccatum, in eius loci præſertim & dignitatis viris, magna & iuſta utrumque ignominiæ macula aſperſit. Hanc hiſtoriam Polybius ita narrat, quaſi de hominibus loqueretur, nulla notitia ſibi coniunctis, qui tamen alterius erat filius, alterum parentis loco ſemper coluit. ſed memor vir ſummus legis a ſe rogatæ, maluit in hiſtoria veritatis amicum ſe probare, quam φιλόφιλον aut φιλοπάτορα. Non vivebat, opinor, Lycortas, cum illa filius ſcribebat, ſed ſi vel maxime vixiſſet, non fuit Polybio verendum, ne hac ingenua libertate patrem offenderet. Levia ingenia quia nihil habent, nihil ſibi detrahi patiuntur: magni viri, & fiduciam magnarum rerum habentes, adeo fidelium hiſtoricorum veritate non offenduntur; ut contra ſuos ipſi errores & fruſtrationes generoſo animo profiteantur. Hippocratem a ſuturis capitis fuiſſe deceptum neſciremus, niſi ipſe memoriæ prodidiſſet. Cæſarem magnum ignominiam ingentem ad Dyrrachium accepiſſe, & magnis ſæpe in Gallia detrimentis fuiſſe affectum, niſi ipſe narraſſet, vix hodie ſciremus. nam quæcumque Dio, aut alii ſcriptores, iis de cladibus ſcripſerunt. præ iis, quæ ipſe dicit, levia ſunt. Quod ſi memorias veteres replicare voluerimus, ſolos inveniemus Tiberios, Caligulas, Nerones, Domitianos, Commodos, qui fidei præclaros ſcriptores, Cremutium Cordum, Livium, Suetonium, Arulenum, Senecionem & his ſimiles, exoſos habuerint. Illud vero in hoc auctore eximio, quam eximium & inſigne? quod miraculorum commenta & omnem παραδοξολογίαν acerrime inſequitur: cauſſas vero cunctorum geſtorum diligentiſſime ſcrutatur. nimirum ex eo, quod poſterius dixinus,

alte-

alterum illud prius naſcebatur. propterea enim oſor extitit omnium præſtigiarum, quas vulgus temporibus priſcis mirabatur, quia rerum omnium & eventorum cauſſas veſtigarat: quis autem neſcit, antiqua paganorum miracula meras, ut plurimum fuiſſe dæmonum illuſiones & humanarum mentium ludibria? ſcilicet pro vero credendum, quod toties in aliorum monumentis hiſtoricis legimus, ſanguine aut lapidibus pluiſſe; ſaxum viſum volitare, bovem eſſe locutum & ſexcenta iſtiusmodi portenta. quid iſta? Hannibali & Scipioni Africano præſentem deum affuiſſe: illi Alpes ſuperare nitenti atque hærenti, viam præviſſe, huic Carthaginem novam temere invadenti, aquas maris ſubduxiſſe. Eleganter non minus, quam vere ſolet Polybius dicere, ſcriptores annalium, qui talia chartis ſuis illinunt, tragœdias non hiſtorias componere. nam ut tragici poetæ poſtquam turbata ſunt omnia, et fabula eſt impedita, atque ea facta eſt, quam Philoſophus δέσιν τῦ δράματος appellat, ut exitum inveniant, & ſpectatores abſolvant, deo indigent & machina: ſic imprudentes hiſtorici, ubi ſummos duces magna auſa conſilio temerario, aut nullo adoriri fecerunt; poſtquam ad rerum difficultates eſt ventum, ut ſeſe expediant, tragico illo ſubſidio opus habent. Sed & vulgi imperiti cauſſasque rerum ignorantis opinio erat, hoc divini auxilii commento eorum virorum gloriam mirum in modum augeri, quos omni laude volebant honeſtare. hiſtoricorum autem leviſſimus quisque aut ſuperſtitioſiſſimus, tenendo & oblectando lectori, mirabilia quam vera narrare præoptavit. eſt namque humanæ naturæ vitium, rara, inaudita, indicta, & ut ait Iſocrates, τὰς περιττότητας καὶ θαυματοποιίας amare. At noſter hic, ſolidiſſimi iudicii vir, ut iſta pro frivolis haberet, & contrariam narrandi viam ingrederetur, ille quem expoſuimus veritatis amor, & notitia cauſſarum effecerunt. Qui igitur ſciret, falſo dici primum Hannibalem cum exercitu Alpes traieciſſe, quas multo ante non ſemel Galli, Italiam petentes, cum magnis copiis ſuperaverant; ſciret etiam,

pru-

prudentiſſimum illum Pœnum, priusquam ex Hiſpania pedem moveret, miſſis ad Gallos, qui cis & trans Alpes habitabant, legatis; rebus omnibus tanto incepto neceſſariis providiſſe, narrationem illius expeditionis miraculorum quidem vacuam, ſed ſummæ prudentiæ plenam inſtituit. Scipionem quoque priusquam ab urbe proficiſceretur, omnes negotiorum difficultates probe meditatum; non miraculo, ſed admirabili quadam prudentia Hiſpanias domuiſſe oſtendit: & eorum, quæ ſcribit, Lælium Africani aſſiduum comitem, diligenter a ſe de ſingulis interrogatum, teſtem locupletiſſimum laudat. Innumera poſſent alia huc afferri, ex quibus de ſincera fide & iudicio exquiſito huius ſcriptoris, planiſſime queat conſtare. inſtar omnium hoc unum eſto. Legionem Romanam e quatuor millibus Campanorum compoſitam, quæ Rhegium inſignito perfidiæ exemplo, belli Tarentini tempore, diripuit & occupavit, totam poſtea a Romanis ſecuri fuiſſe percuſſam, ſcribunt Oroſius, Iulius Frontinus, ipſe etiam Titus Livius, nec non alii: noſter contra ccc. dumtaxat eo ſupplicio affectos narrat. atque eius ſententiam veriſſimam certiſſimamque eſſe clare demonſtramus in noſtris commentariis. quid igitur Latinos illos impulit, ut tam liberali mendacio veritatem interficerent, ut cum Tertulliano dicam? grandidati videlicet rerum, quas exponebant, non ſimplici fidei ſtuduerunt. Vt dubitare nemo debeat, Polybione, an aliis, qui res easdem diverſe prodiderunt, plus auctoritatis ſit tribuendum. rara, grandia & miraculoſa plerisque illorum tradere poſteris curæ fuit; noſtro, vera, certa & fructuoſa, delectare illi lectorem ſuum, noſter doctrina civili inſtruere, propoſitum habuit. Qui etiam loco non uno profitetur, de voluptate quidem auditoribus paranda, quam ſcribentium plerique ſectantur, non admodum ſollicitum ſe eſſe: utilitatis vero ad vitam pertinentis, tantam rationem habere, ut ad eam cuncta referat. omnes igitur amœnitates & reficiendo lectori diverticula, in opere tam ſerio neglexiſſe, ut uni adhæreret rerum geſtarum accurate explica-

plicationi & obſervationibus, quæ eodem pertinebant. Propterea hiſtoriam ſuam πραγματικὴν vocans, quod eſſet tota de negotiis geſtis aut bellis; nec non ἀποδεικτικὴν, propter certitudinem narrationum, id ſe agere oſtendit, ac ſæpius inculcat, ut vel artem quandam, & ut ipſe loquitur, μεθοδικὴν ἐμπειρίαν rerum gerendarum politicis hominibus concinnet. Quamobrem, ſicut verum eſt dicere, Polybium hiſtoriam ſui temporis ſcripſiſſe; ita non minus verum eſt dicere, Polybium in hiſtoria quam ſcribebat, praxin politicæ doctrinæ & diſciplinæ militaris exercuiſſe. Nihil ille, paullo præſertim maioris momenti, narrat factum, cuius non afferat & antecedentes & cohærentes cauſſas cur ita fit factum, aut cur eum habuerit res exitum. ſimul autem & modum accurate explicat, quo ſingula fuerint adminiſtrata. Hinc illæ non infrequentes digreſſiones, quibus aut naturam locorum declarat; qua non prius probe cognita, præliorum deſcriptiones & ſimiles expoſitiones, cæcæ, (nam ſic ipſe appellat) ſint futuræ: aut aliquod theorema politicum ex profeſſo perſequitur. Sic libro II. cauſſæ quæruntur mirabilis incrementi reipubl. Achæorum. Sic libro IV. de miſerorum Cynæthenſium infelicitate, & eius cauſſis, multis diſſeritur. Sic libro IX. de inſtitutione imperatoris, & diſciplinis magno duci neceſſariis doctiſſime diſputatur. Sic libro X. ratio tota dandorum ſignorum per faces, qua multum, idque mirabiliter, uſi ſunt veteres, non ſolum exponitur, ſed & novis inventionibus ipſius auctoris perpolitur. Sic libro XVII. cur phalangem Macedonicam, creditam prius eſſe invincibilem, & quæ revera talis natura ſua erat, Romanæ legiones ſæpe viciſſent, pulcherrime docetur, eiusque rei cauſſæ manifeſtiſſimæ certiſſimæque afferuntur. Sic multa paſſim de officio hiſtorici, & legitimæ hiſtoriæ natura, inferuntur. Totus quoque liber ſextus, digreſſio quædam eſt a propoſita narratione, ſed Deum immortalem, quam ex uſu, quam docta, quam divina! cum qua ſi componantur omnes omnium auctorum digreſſiones, nihil ſimile invenias, nihil

ulla

ulla ex parte comparandum. Expoſuerat prioribus libris Polybius, quomodo Hannibal Italiam ingreſſus, populum Romanum tribus continuis cladibus ad Ticinum, ad Trebiam, ad Thraſymenum, iisque magnis attriverat, & quarta inſuper Cannenſi, omnium longe maxima, pene deleverat: eo certe redegerat, ut emerſurus ex illo miſerrimo ſtatu numquam videretur. emerſit tamen, & cum adverſa fortuna aliquamdiu luctatus, mox & Hannibalem Italia expulit, & pace cum Pœnis in ſuas leges facta, ad ſpem imperii orbis terrarum ſeſe erexit. Rei igitur ſtupendæ, & omnibus ſæculis inauditam cauſſam eo libro aperit noſter: cauſſa autem erat, ipſa reipubl. Rom. forma & ſcientia bellandi, quæ duo capita ſic a Polybio explicantur, ut vel ſolus ille liber, qui nullo ſatis æſtimari pretio queat, doctrinam, iudicium, peritiam pacis bellique artium & ſummam auctoris prudentiam arguat. Atque hoc in genere illud cum primis obſervatu dignum, quanta cura Polybius lectorem ſuum ad contemplationem verarum cauſſarum ſubinde revocet, unde ſucceſſus ſive læti, ſive illætabiles manant: quanta item multorum veterum (atque utinam horum tantum) opinionem ſtultam, de fortuna pendentium, reprehendat & confutet. Non enim pati poterat tantus prudentiæ magiſter, in res humanas induci cæcum illud cæcorum hominum πλάσμα καὶ εἴδωλον, ut Democritus vocabat, quod *nullum numen habet, ſi ſit prudentia.* Clamat igitur noſter, τῶν συμβαινόντων τύχην αἰτιᾶσθαι, φαῦλον· Fortunam facere cauſſam eventorum, amentia eſt, quippe ſapientibus, & qui rectis conſiliis utuntur, haut magni fortunam momenti eſſe, aut potius fortunam, quæ nihil ſit, nullam intervenire: non enim caſibus regi, ſed regere magis prudentem caſus: mentem, rationem, virtutem, pietatem dominari. Qui ſi aliquando parum ſibi videtur conſtare, fortunam ipſe quoque nominans, & vim illius agnoſcens; non tam ſententiæ errorem eum eſſe, quam loquendi conſuetudinem quandam, abunde probatum eſt in noſtris commentariis. Vbi etiam illo-

illorum errorem ſupinum atque inſanum magnum validiſſimis rationibus confutavimus, qui male de diis & divina providentia Polybium ſenſiſſe, auſi ſunt ſcribere. Adeo homine imperito nihil quicquam iniuſtius. Quid iniuſtius, quam ἀθεότητος a male feriato politico & Theologaſtro omnis humanitatis imperitiſſimo eum virum damnari, qui Arcadiæ patriæ ſuæ præcipuum decus ponat ἐν τῇ εἰς τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ, in pietate erga deum? qui locis ſacris belli tempore non parcere, ultimam ſceleris atque immanitatis lineam putet? qui pacis poſt diuturnum bellum inſecutæ, primum et omnium pulcherrimum fructum agnoſcat, ædes ſacras dirutas aut collapſas inſtaurare; neglectas divini cultus ceremonias in uſum revocare? qui civitatis bene & legitime ordinatæ primam omnium conditionem ponat, ut in ea religio vigeat? qui magnitudinem imperii Romani pietati illius populi ferat acceptam? qua quidem usque eo Romanos vult excelluiſſe, ut etiam ſuperſtitioſi ſapientum iudicio videri poſſent: verum, quam ſuperſtitionem alii vocant, inquit, ea eſt apud Romanos ὑπερβολὴ pietatis. qui toties bona bonis provenire, malos male perire, bene conſulta parum bene interdum cedere παρὰ θεῶν καὶ τῷ δαιμονίῳ, dei nutu atque numine, pronuntiet? qui denique omnia miraculorum commenta ex hiſtoria, quam πραγματικὴν appellat, cum ſtudio magno eliminet; verbis tamen diſertis libro xvi. ea miracula, quæ ad firmandam opinionem de deo eiusque potentia pertineant, & admittat & commendet. Poterantne a miſero ethnico illuſtriora inclinati ad pietatem animi proficiſci teſtimonia? ſed ut melius conſtet, qui fuerit Polybii ſenſus, quæ ſententia ſuper quæſtione tam gravi de rerum humanarum gubernatione, verba Suidæ, hominis Chriſtiani, qui diligentiſſime illius ſcripta legerat, hic deſcribam. *Fortuna*, ait ille, *apud Græcos et paganos, eſt gubernatio mundi ſine ulla providentia, aut rerum curſus ab incertis ad incertum, & id quod caſu ſponteque evenit. at nos Chriſtiani Deum omnia adminiſtrare confitemur: id-*

que etiam Polybius dicit. Pudeat nunc eos, qui crimen adeo tetrum tam bono ſcriptori auſi ſunt impingere. Pudeat illum politicum, qui audire chriſtianus quum vellet, de cauſſis converſionum, quæ imperiis accidunt, tam infeliciter & abſurde pronuntiavit, ad numeros lectorem ſuum revocans, quam docte & graviter Polybius libro ſexto; cum futuram olim mutationem in Romana republ. cuius florentiſſimam tunc cum maxime ætatem ipſe videbat, centum fere annis prius, quam eveniret, veriſſime prædixit. Poſt tot tantasque & eas adeo inſignes rerum virtutes, facultatem dicendi in auctore tam nobili laudatum ire, pars fuerit iniuriæ. in quo nulla quum eloquendi virtus rerum ſcriptori neceſſaria deſideretur, hoc fundamentum ingentibus illis, quas oſtendimus, ſuperſtructum molibus ſic obruitur, vix ut appareat. Non deeſt, ſed non eminet in Polybio facundia. nihil vero eſt iniquius illis, qui nullam putant eſſe eloquentiam, niſi ubi nihil eſt præter eloquentiam. Semper mihi apprime placuit Diodori Siculi ſententia, vehementius in hiſtorico eloquentiæ ſtudium improbantis. Verborum enim curam nimiam, rerum fere par ſequitur incuria. Oratio vultus animi eſt. ut hic fuerit gravis aut ſolutus, ita etiam illa vel ſevera erit vel mollis. Polybii ingenium verbo iudicavit excellens auctor Strabo, quum illum appellavit τὸν ἔτως ἐσπουδασμένον ἄνδρα, virum adeo ſerium, & rebus ſeriis deditum. nam hoc voluit Strabo. non dubitabunt periti de rectitudine huius iudicii & elogii veritate, qui diligenter expenderint. ineſt ſane in huius ſcriptis gratus quidam ſine ullo fuco veritatis color, & quod Græci critici appellant τὸ ἔμπρακτον καὶ τὸ ἐναληθὲς τῶν ἐννοιῶν. Equidem rideam an indigner neſcio, quoties apud Dionem Pharſalicæ vel Philippicæ aut ſimilium pugnarum deſcriptiones lego; in quibus eloquentiæ plurimum, bellicæ vero artis & tacticæ peritiam nullam penitus animadverto: ut de hiſtoricis aliis nihil nunc dicam, ne Dioni quidem ullo pacto comparandis. Dares eadem prælia Polybio deſcribenda.

in

in re eadem, nihil idem diceret: omnia alia & diverſa. neque enim eo propoſito ad præliorum deſcriptiones accedit, ut in depingenda negotii facie rhetoricetur: verum ut, ceu Xanthippus aliquis tacticus, uſum eius diſciplinæ in ipſis rebus lectorem doceat, cauſſas hinc victoriæ, illinc cladis ob oculos ponat, quid in eligendo belli campo, quid in ordinanda acie, quid in ſubſidiis diſponendis, quid in procurrendo concurrendove, aut excipiendo hoſte bene aut ſecius fuerit factum: quis levis, quis gravis armaturæ fuerit uſus: equitesne an pedites ad ſummam operis plus momenti attulerint. Ad harum rerum expoſitionem ſi orationem noſter adhibuit nullis calamiſtris inuſtam, nullis fractam cincinnis, ac ne diligentius quidem comptam, ſed maſculam & quodammodo militarem, opus, credo, cenſorium fecit. Vt poma quædam ſunt ſuaviter aſpera, & in vino nimis veteri ipſa nos amaritudo delectat, ſic in ſeriis magnisque ſcriptoribus minus interdum culta dictio, non ſine auſteritate quadam iuvat. Et eſt ſane Polybiana dictio eiusmodi, in qua multa verba, multas obſervo locutiones in caſtris natas, & glorioſum illum Martis pulverem, potius quam rhetorum lecythos & pigmenta redolentes. quidni autem? maluit Polybius exercere in agendis rebus quantum habuit eloquentiæ, quam inerti otio ſeſe dare, ut ſequeretur, quantum eius poterat per ingenium conſequi. Nam quid aliud ab eo exigas, cui paullo poſt quam ex ephebis exceſſerat, legis annariæ gratia facta eſt a concilio Achæorum, ut negotiis ſe immiſceret, ac legatus in Ægyptum cum patre Lycorta & Arato Arati F. proficiſceretur? factum eſt hoc decretum, circa principium Olympiadis CL. Vnus, credo, fuit ex omnibus antiquis Dionyſius Halicarnaſſeus, qui propter dictionis incuriam & minus accuratam verborum comprehenſionem, tantum virum impolitiæ notare ſuſtineret. cuius critici putidæ morositati ſic alibi reſpondimus, ut æquis iudicibus noſtrum iudicium probatum iri confidamus. Neque tamen nævos, ſi qui ſunt in hoc pulcherrimo corpore, diſſimulavimus.

nam equidem ſicut eos, qui maligne ſcripta aliena tractant, ſceleſtos & publica omnium exſecratione digniſſimos cenſeo; ita, qui ſine cura diſcriminis omnia pariter laudant, cur ſint laudanda non intelligere, perſuaſum habeo. Et fuit quidem felicitatis populi Romani pars non pœnitenda, ſempiternæ gloriæ per eum virum fuiſſe commendatum, qui ipſe quoque in eo ornando propriam ingenii gloriam erat conſecuturus, ſed & Polybii magna prorſus extitit felicitas, in ea tempora incidiſſe, quæ materiam digniſſimam facultate & copia ſua ipſi ſubminiſtrabant. Scitum vetus eſt, omnium imperiorum, ſicut ceterarum rerum humanarum tria eſſe tempora; primordium, ſummam incrementi, inclinationem ad interitum. Græci melius, ἀρχήν, ἀκμήν, παρακμήν aut φθοράν. hæc quum natura ſint diverſa, etiam ſcriptoribus admodum diverſam ad ſcribendum materiam ſuppeditant. Principia incerta, fabulis involuta, tenuia: ſemper enim, modo primumque naſcentia ſunt minuta. poſtrema tempora, ipſa quoque, ſed ex alia cauſſa, attenuata, & vitiis deformia, utpote exitio propinqua. ſolum eſt medium tempus, quod vigoris florem obtineat; ſive ad experiundum, ſive ad ſcribendum, aut cognoſcendum, pulchrum & optabile. Respubl. Romana, ut obſervat Polybius, ſi qua ulla unquam alia, omnes temporum diverſitates ſecundum naturæ communes leges eſt experta. quæ ab obſcuris, fabularum plenis, & oppido exilibus profecta principiis, per annos ferme 10 cum populis Italiæ perpetuum quaſi bellum varia fortuna geſſit. Tantæ molis erat orbi terrarum dare caput. deinde ubi ſemel pedem extra Italiam extulit, dictu mirabile, quanta cum ſua gloria, quanto cum ſtuppore tunc viventium & videntium, Europam, Aſiam, Africam, triumphis peragratas, dominationi ſuæ ſubiecerit. Hæc fuit & reipubl. & virtutis Rom. ἀκμή, & præcipuus vigor. quod tempus vulgo hiſtorici ad cc. usque annum extendunt. ſed ſpatii huius ultima civitatem ſanguine civili fœdatam habuerunt, & luxu, poſtquam victores Aſia capta cepit, multis-

tisque aliis vitiis corruptam. Eam partem Polybius non attigit, non vidit, qui ipſam dumtaxat ἀκμὴν τῆς ἀκμῆς, ut ſic dicam, & puriſſimam laudatiſſimamque partem florentis reip. Rom. ad occupandum ingenium, ſingulari felicitate aurei illius temporis, materiam eſt nactus. Quare hiſtoriæ huius non poſtrema hæc laus eſt, quod in parte verſetur rerum Romanarum longe nobiliſſima; ſive virorum virtutem ſpectes, ſive publica inſtituta, aut mores, ſive geſtorum magnitudinem. Quum autem inter excellentis hiſtoriæ conditiones doctiſſimi veterum hanc cum primis ponant, ut certi intervallo temporis circumſcribatur, & a notabili principio ad notabilem finem perducatur; hanc hiſtoriæ legem, (ut quidem illis placet) a Polybio mirifice eſſe obſervatam, invenimus. Ille principio cum ad ſcribendum animum appulit, annorum LIII. res geſtas ſuſcepit explicandas; ab anno primo Olympiadis CXL. & initio belli Punici II. ad finem belli Perſici, & regni Macedonici ultimam everſionem. quo ſpatio affirmat Polybius, & incepiſſe & conſummata eſſe imperii Romani incrementa. recte, ſi modo intelligatur, ut in noſtris animadverſionibus eſt expoſitum. Geſtæ igitur ſunt eo temporis intervallo tot tantæque res, quot & quantæ nullo umquam ſæculo pari numero annorum. Ante omnia bellum occurrit Punicum II. bellum, viribus partium, generoſitate ducum, magnitudine cladium, varietate caſuum, eventorum conſequentia, omnium, quæ ubivis terrarum geſta umquam ſunt, maximum. finem huius initium Macedonici cum Philippo excepit; ob veterem Macedoniæ regum famam, & Magni Alexandri gloriam, bellum nobiliſſimum. Secuta ſunt Antiochicum & Ætolicum, illud cum rege Aſiæ opulentiſſimo, & terra marique vi copiarum ingente inſtructiſſimo: hoc cum populo omnium ferociſſimo, & qui bellandi decus ſibi uni vindicabat, ſeque eo nomine impotentiſſime iactabat. his interiecta ſunt minora iam alia bella cum Inſubribus, Boiis, ceterisque Gallis trans Alpes Italiam incolentibus. Poſtremum fuit Macedonicum alte-

rum cum Perſe Philippi F. in quo illa antiqua Macedonum regia, cui aliquando ἦν Ἑλλὰς αὐτὴ σμικρὸν οἰκητήριον· imo vero, cui capiendæ orbis terrarum olim parvus erat, exemplo penitus miſerando, eſt exſtincta. Tum primum omnes & Orientis & Occidentis nationes attonitæ magnitudinis Romanæ ſtupore cœptæ ſunt defigi, ac vim ineluctabilem fatorum intelligere, quæ Po. Ro. imperandi honorem deferebat; ſibi parendi neceſſitatem imponebat. Quæ admirabilis rerum univerſi mundi converſio Polybium initio impulerat, ut hoc tam memorabili fine hiſtoriam ſuam terminaret: paucis tantum annis inſecutæ pacis adiectis, ut quam modis omnibus laudabilis eſſet forma regendi imperii, qua Po. Ro. utebatur, & cunctis quidem omnium ſæculorum gentibus, ſed præcipue Græcis ſuis teſtatum faceret. Ac quoniam non unius tantum populi huius res peragere inſtituerat, ſed Romani quidem primario; deinde autem & ceterorum totius orbis populorum omnium, paullo ſaltem nobiliorum; multa de regum Syriæ, Ægypti, Ponti, Cappadociæ, Perſidis, aliarumque gentium rebus, ordinem ſecutus temporum, inſeruit, propter quæ opus ſuum καθολικὴν ἱστορίαν, quaſi univerſalem hiſtoriam dicas, iure nominat. Eſt hoc quoque hiſtoriæ Polybianæ grande atque inſigne decus, quod non de una tantum aut de altera natione fuerit inſtituta; verum de omnibus, quæ toto orbe illis temporibus noſcebantur. Cuius generis hiſtoria, quum reliquas eius formas tantum dignitate ſuperet, quantum parte aliqua ſui totum eſt præſtantius; iis cum difficultatibus eſt coniuncta, ut poſt hominum memoriam perquam pauci fuerint reperti, qui oneri tanto ſubire auderent, quorum autem humeris onus illud bene ſederet, pauciſſimi. Plane inuſitatam animi magnitudinem, & parum vulgo conſuetum ingenii modum præ ſe fert, qui univerſalis hiſtoriæ, qualem Alphonſus X. Caſtellæ rex ſolitus optare, ſcriptionem πραγματικὴν aggreditur. Proprias vero laudes eiusmodi hiſtoriæ, ſi commemorare velim, nimis longum faciam, &

præ-

præclare noſter hic ea ſuper re nonnulla operis ſui initio. Vel illud quantum eſt, quam admirabile? poſſe aliquem mortalium, illam Dei ter maximi πολυποίκιλον & inenarrabilem ſapientiam, quæ non unam aliquam aut alteram regionem, ſed vero mundum univerſum regit ac temperat, quaſi veſtigiis perſequi, mente capere, & ſtilo enarrare? quid de populis Orientis, quid tempore eodem de Occidentis divina ſtatuat providentia, quid vel ſublevandis vel premendis ad Aquilonem Auſtrumve gentibus, eadem decernat. Tot res, tam varias, vel animo poſſe capere, magnum ſit: quid componere inter ſe, in ordinem digerere, & in unius hiſtoriæ faciem concinnare? hoc demum illud vere eſt, quod initio dicebamus, miniſtrum providentiæ divinæ in terris agere. Polybius igitur, tantis de rebus tam exquiſitæ formæ hiſtoriam, quam moliebatur, ultra illos LIII. annos, & paucos alios pacis curam ſuam non extendebat. qui tamen eo labore perfunctus, novam hiſtoriam annorum circiter octo, eorum bellorum, quibus ipſe ut plurimum interfuerat, priori ſubtexuit: a principio Celtiberici ad deletam a Mummio Corinthum, & in formulam provinciæ redactam Achaiam: nec non ad Carthaginem paullo ante a Scipione captam, & ſolo æquatam. Scripſerat & de bello Numantino, ſed ſeparato a perpetua ſua hiſtoria volumine, ut auctor eſt Tullius. Porro univerſum quod modo expoſuimus argumentum, libris XL. Polybius fuerat complexus, vel potius duodequadraginta. primus ſiquidem & ſecundus, apparatum ad hiſtoriam primario ſuſceptam, non ipſam hiſtoriam, continent. Nam quia Græcis hominibus illa ætate res Romanæ, ſua memoria vetuſtiores, parum erant cognitæ, prudentiſſimus ſcriptor ex uſu futurum putavit, ſi reip. illius tempora ſtrictim attingeret, a capta Roma per Gallos duce Brenno, ad primum extra Italiam cum claſſe tranſitum: & paullo uberius a prima traiectione in Siciliam, quando bellum Punicum primum eſt conflatum, ad Punici II. annum primum. quas ille res cum Græcanicis aliorumque populorum ratione

temporum congruentibus, in illa duum librorum præparatione comparavit. At quam dolendum, nec ſine indignatione ſumma memorandum, quod auctoris tanti tam excellens opus ſuperiorum ſæculorum barbara ignorantia magna ex parte nobis invidit? quando id vulnus reip. literariæ fuerit impoſitum, difficile eſt pro certo affirmare. Conſtantinum Porphyrogenitum, pandectarum politicarum ex hiſtoriis compoſitorem, integrum opus habuiſſe, nullus dubito. Suidæ quoque grammatico, ſuum illum centonem contexenti, reor equidem totum Polybium ad manum fuiſſe. idque ſatis manifeſto e fragmentis poteſt cognoſci, quæ inde collegimus. Nunc, proh dolor! ſolos quinque primos libros, quales auctor reliquerat, habemus: cetera varia manu interpolata ad nos pervenerunt. Tres operis totius partes diſtinctas editio noſtra exhibet. Prima eſt eorum, quos modo dicebamus quinque librorum. Sequitur altera, excerpta continens a v. fine ad principium XVIII. ipſam, *niſi fallor*, illam epitomen, quam Marcus Brutus conficere orſus, non perfecit. qua de re plura nos alibi. Tertia quoque pars excerpta complectitur, ſed diverſi generis: ſunt enim illa ipſa loca laudabilia, quæ viri eruditi, iuſſu imperatoris Conſtantini excerpſerunt, ut titulo operis novi XXVIII. exemplis legationum deſtinato, inſererent. Quis ſatis pro rei magnitudine iacturam hanc queat deflere? habent quod doleant, qui literas Græcas amant, tam bonum eius linguæ auctorem tam male fuiſſe acceptum. Habent hiſtoriæ Romanæ amatores, tam accuratum illius ſcriptorem tantum detrimenti eſſe paſſum. Habent qui res Syriacas & totius Orientis, regum ſucceſſiones, defectiones ſatraparum, bella ab Antiochis & Ptolemæis geſta, multorum item aliorum ſive principum, ſive civitatium res, hodie ſciunt maiore ex parte ignorari. Habent etiam illi, qui in eccleſiaſtica hiſtoria Maccabaicorum temporum recte capienda, quantum ſit hodie difficultatis ex inopia veterum hiſtoricorum, non neſciunt: & quantum illi lucis Polybii hiſtoria, ſi integra extaret, foret alla-

allatura, ex iis, quæ ſuperſunt facere coniecturam ſcibunt. Omnium vero maxime quod doleant habent, qui geſta maiorum eo animo legunt, ut ad vitæ uſum illa referant; quique doctrinæ civilis & bellicæ ſeriam cognitionem præſtantiſſimum hiſtoriæ legendæ fructum putant: neque neſciunt, ſuis potiſſimum utilitatibus eximium hunc & πολιτικώτατον ſcriptorem iviſſe conſultum. At enimvero cui bono amiſſa deflere, niſi eorum deſiderio excitentur generoſi adoleſcentes, ut tanto diligentius, quæ reſtant, velint cognoſcere, & hoc Dei beneficio perfrui? deſinant igitur inutilium querelarum veræ doctrinæ candidati, & Polybium quem nunc offerimus, non illum quidem integrum, ſed qualem tamen nemo adhuc vidit, grati excipiant: quodque pars adeo luculenta excellentiſſimi huius auctoris naufragio ſit erepta, eo nomine gaudeant, & publicæ rei literariæ gratulentur. Nos quidem totam Polybii hiſtoriam non damus, ſed vel in tota eminebant, ea ſine dubio damus. Et formam quidem univerſæ ſcriptionis, ipſumque adeo auctoris genium, e prima noſtræ editionis parte, quæ integra & ſine imminutione ulla notabili ad nos pervenit, licet hodieque cognoſcere. Multa ſtudioſi in duobus præparationis libris invenient, nusquam alibi tam bene deſcripta, quædam omnino apud nullum alium, neque Græcum neque Latinum, invenienda. Punici primi hiſtoriam non plene quidem ibi narrat Polybius, neque enim id agebat; ita tamen, ut hodie in tanta bonorum librorum paucitate, plura de eo bello unus hic quam alii omnes nos doceat. idem de bellis, quæ Romani cum Gallis in Italia degentibus geſſerunt, eſt cenſendum. Libyci vero Carthaginienſium, multis nominibus cum primis memorabilis, hiſtoriam uni huic debemus. Reip. Achæorum quondam illuſtriſſimæ, primam inſtitutionem, augmenta & formam ex eodem apparatu cognoſcimus. Tres, qui deinde ſequuntur hiſtoriæ legitimæ primi, propter ſubiecti magnitudinem, varietatem ingentem, accuratam eius tractationem, doctrinæ, qua

civilis, qua bellicæ uberrimam copiam, ut eos magni duces & politici diligentiſſime ſæpiſſimeque verſent, merentur. Secundæ & tertiæ partis excerpta, oſſa & nervi ſunt, carne & cute nudati. decus formæ abeſt, & illa vivi corporis venuſtas: unde tamen fructus feramus uberrimos, abunde adeſt. Mihi quidem videtur M. Brutus, ſive eſt alius, magno iudicio uſus, in iis ſeligendis, quæ politico informando erant accommodatiſſima. Iccirco librum ſextum totum paucis exceptis ſibi ac nobis deſcripſit: quod de illius præſtantia & utilitate recte iudicaret. plane totus ille liber omnibus principibus, ducibus & politicis non legendus, ſed ad verbum eſt ediſcendus. Legationum excerpta quam potiſſimum utilitatem ſpondeant, ipſo titulo profitentur. in eum namque finem fuere confecta, ut viri politici, quorum induſtria in ſimili miniſterio ſummi principes utuntur, documenta inde ſumerent, ſibi uſui futura. Scire quæ ſint legati partes, quis uſus datæ poteſtatis, quæ illum circumſtent pericula, doctrinæ politicæ pars minima non eſt. Expoſui cauſſas, cur rempubl. cogitantibus & cum utilitate omnium, ſuaque laude ſive domi, ſive militiæ eam adminiſtrare cupientibus, hiſtoria quidem præ ceteris diſciplinis ſtudioſe ſit cognoſcenda; e cunctis vero illius ſcriptoribus, qui vetuſtatem pertulerunt, Polybius præcipue notus ac familiaris eſſe debeat. Non erat alienum huic loco, ut inter hunc ceterosque hiſtoricos, tam Græcos quam Latinos, quid quantumque interſit, (& intereſt ſane haut parum) quid inter hanc & illorum hiſtorias ſit diſcriminis, expenderemus. Facit enim ad rem ſi quid aliud, cum in omni ſtudio, tum in iſto non minime, de auctoribus ſingulis, eorumque ſcriptis, quid ſit ſentiendum ex veris principiis ſtatutum habere. Verum quoniam longius iam neſcio quomodo oratio noſtra eſt provecta, ea autem quæſtio non adeo facilis, ut paucis queat abſolvi, ne plane immemor videri queam, apud regem ſermonem habere me, pulcherrimi argumenti, & ad cognoſcendum utilioris, quam ad explicandum faci-

facilioris, tractatione accurata in præsentia supersedens; illud interim omni asseveratione confirmare nequaquam verebor, non posse aliquem neque Græcum inveniri, neque Latinum ex illo meliore sæculo, nedum e posterioribus, quem non aliqua legitimæ historiæ laude, aut etiam pluribus, noster hic antecedat. Magnus sane scriptor Herodotus, & sine controversia historiæ pater, sed qui ad πολυμαθειαν & rerum antiquissimarum cognitionem plurimum, ad eam vero quam quærimus prudentiam, non multum sit collaturus. Magnus & vir & scriptor Thucydides, qui a gerendis rebus ad easdem stilo persequendas, quum sese contulisset; historiæ ad usum politicorum scriptæ mortalium, credo, primus, exemplum post futuris mirandum potius quam imitandum dedit. Sed vir maximus; par ingenio argumentum non habuit. qua quidem re tanto est Polybio inferior, quanto Græcia, hoc est angustus terræ angulus, ceteris omnibus antiquæ οἰκουμένης partibus est minor. ut de obscuritate dictionis Thucydideæ nihil dicam. Magnus Xenophon, & eius oratio quovis melle dulcior. sed is belli pacisque artes in ficta historia serio docens, in seria & vera, de eo proposito ne cogitasse quidem videtur. Thucydidem ille continuat: verum ita, ut sit illi dissimillimus. accuratior idem in Anabasi, quæ tamen unius expeditionis narratio est, non alicuius imperii aut potentis reipubl. legitima historia. Magni sunt auctores Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnassæus, Iosephus. Sed primus ille in priore operis sui parte fabularem historiam, quum persequatur; ne in altera quidem parte, licet præstantissima, eam rationem tenuit, quæ politico informando erat accommodata. aliud enim, non hoc, spectabat. quippe in magna ingeniorum diversitate aliud alii natura iter ostendit. Dionysius Polybii æmulus, a primis Romanorum orsus temporibus, historiam suam eo perduxerat, unde noster, sæculo uno antiquior, suæ principium duxerat. Hunc aliquis cum Polybio putet componendum? qui nullam umquam reipubl.

par-

partem attigit, qui exercitibus nullis umquam præfuit, ac ne interfuit quidem, opinor, qui rerum uſum experientia collectum nullum habuit, qui hiſtoriæ Romanæ partem maxime exilem, maxime incertam & obſcuram (eiusmodi ſemper eſſe primordia antea oſtendimus) in qua ſe exerceret delegit, qui denique omne ſuum ſtudium dicendi paranda facultate poſuit. Ioſephus, populi unius res geſtas & caſus memorabiles deſcribit; breviter quidem & ſtrictim in originibus, uberius vero in altera hiſtoria: qui vir eximius, ſi materiam ad agendum primo, deinde ad ſcribendum, quanta Polybio obtigit, foret nactus, de dignitate & præſtantia ſcriptionis merito ſuo dubiam atque ancipitem cum ipſo palmam potuit habere. Magnus vel potius maximus Plutarchus, ſed qui hiſtoriam πραγματικὴν ex profeſſo nunquam ſcripſerit, in huius comparationem venire non eſt aptus. multo minus Apianus, qui neque propria multa habet, & rationem propoſiti toto genere diverſam eſt ſecutus. Cocceium Dionem inter nobiles Græcæ linguæ hiſtoricos poſſumus recenſere: ita tamen ut propter omnia alia potius videatur laudandus, quam propter illa, quæ in Polybio admiramur. E veteribus Romanis, qui usque in Græcorum ingeniorum comparationem ſunt evecti, magnus omnino auctor eſt Criſpus Salluſtius, ſed quem Polybius propter amplitudinem & varietatem ſubiecti, iudicii rectitudinem, doctrinæ copiam, qua civilium rerum, qua bellicarum, poſtremo propter illam, quæ Græcis dicitur ἦθος διάθεσις, quæque in hiſtoria vel maxime debet ſpectari, longe a tergo relinquit. quod ſi veritatem & libertatem iudicii hodierna ingenia ferre poſſunt; is profecto fuit Salluſtius, & vita & ſcriptis, qui omnium libidinum ſervus, ſic aliorum vitiis perpetuo iraſceretur, quaſi invideret. inde eſt illud trux & violentum dicendi genus, quo lectorem mirifice interdum afficit, trahit, rapit. omitto dicere de eius dictione, quam multi veterum valde laudarunt, multi non adeo, quidam vehementer improbarunt. Magnus, Deus bone, auctor

T. Li-

T. Livius, lactea quadam ubertate dictionis divinitus facundus; amans virtutum, oſor vitiorum, rectus iudicii, rerum togæ, rerum ſagi, etſi non ex uſu neque experientia, egregie tamen peritus: denique, ſi quid iudico, hoc ſolum ingenium (de hiſtoricis loquor) populus Romanus par imperio ſuo habuit. ceterum tantus & tam admirabilis ſcriptor, ut eloquentia Polybium facile vincit, quod ingenue fateor: ita aliis dotibus a Polybio non obſcure vincitur. nam ut de libro ſexto nihil dicam, & id genus aliis Polybii digreſſionibus, & tactiæ imperitiam eſt ubi deprehendas, quod noſtri commentarii Polybiani dicent, & in cauſſis rerum aſſignandis, a ſincero noſtri iudicio, præ nimia ſuperſtitione non raro deflectens, aniles ineptias ſolidis rationibus, & certis illius demonſtrationibus anteponit. illa quoque tam frequens & tam accurata portentorum enumeratio, annon eundem hunc animi illius morbum palam facit? ut non abhorreat a veri fide, quod memoriæ proditum eſt a nonnullis, Gregorium Magnum, pontificem religionis chriſtianæ propagandæ ſtudioſiſſimum, hac tanti ſcriptoris ridicula ſuperſtitione offenſum, ex omnibus bibliothecis eius hiſtorias curaſſe tollendas. Iulium Cæſarem hiſtoricorum omnium in ſuo genere primum & maximum, propter inſtituti diverſitatem prætermitto. Vnus adhuc reſtat Romanorum Cornelius Tacitus, quem in hac contentione piaculum ſit omiſiſſe. Hic magni & acerrimi vir ingenii, novæ cuiusdam, gravis, conciſæ & ſententioſæ eloquentiæ genere eximie præditus; ſi a fortuna non eſſet deſtitutus, quæ dignam ei tanta facultate materiam negavit, quemvis e principibus Romanorum, ſive etiam Græcorum hiſtoricorum videtur potuiſſe provocare. Nunc quum eiusmodi tempora conſtet ab eo, præſertim in annalibus, eſſe deſcripta, quibus nulla umquam fuerunt turpiſſimis vitiis fœdiora, neque aut virtutum ſteriliora, aut virtutibus inimiciora; cum Polybii hiſtoria Taciti libellos velle comparare, hoc vero fuerit non Tacitum laudare, ſed inſignitam ſuam temeritatem

pro-

propalam vulgare. Nam quid ſimile, quid ulla ex parte comparandum? non iam ſcriptores ipſos inter ſe contendo; quorum alter philoſophus inſignis fuit, rebus geſtis vir clariſſimus, alter, ut Romanus, ab omni philoſophia alienus, nulla re publice umquam geſta admodum memorabilis, ſed de materia amborum loquor, quam nemo ſanæ mentis hic præcipue ſpectandam negaverit. Vt enim Therſites, quem Apelles aut Protogenes pinxerit, non eo minis eſt turpis, quia excellentis artificis penicillo eſt pictus; quin potius contra eo magis conſpicua eſt illius deformitas, quo præſtantior eſt, quæ effinxit manus: ſic improborum ſceleſta facinora cum a diſertis viris ſunt deſcripta, non minus quidem ſunt deteſtanda, ſed velut in editiore & illuſtriore loco poſita, magis fiunt inſignia. Quid igitur ſimile? florem ipſum Romanæ virtutis, & ut dicebamus ipſam ἀκμὴν τῆς ἀκμῆς eius reipubl. deſcripſit nobis Polybius: Regulos, Scipiones cum ſuis Læliis, Fabios Maximos, Marcellos, Paulos Æmilios, Flaminios, Metellos, Mumnios & ſimiles his θεοεικέλους heroas: res domi militiæque geſtas, omnium, quæ ulla umquam memoria hominum ſunt geſtæ, maximas: provincias, nationes, regna, ad quæ vix imperii Romani nomen pervenerat, ſtupenda brevitate temporis, imperio adiecta: exempla fidei, fortitudinis, iuſtitiæ, generoſæ & altæ mentis adeo inſignia, ut præ raritate apud poſteros fides factorum laboraverit. Cornelius Tacitus Tiberios, Caligulas, Claudios, Nerones, Vitellios, non homines, ſed humanæ naturæ prodigia, nobis narrat: populum multiplici patientia & fœditate obſequii turpiſſimum: ſenatores, alios meditatis adulationibus gratiam principis captantes, alios ſævitiæ dominantis vel turpiter inſervientes, vel ſceleſte adrepentes, alios etiam infimas delationes exercentes, & optimo cuique exitium per calumniam ſtruentes: plures ſomno & libidinoſis vigiliis marcidos, ſegnitia ſeſe ab invidia & periculo redimentes: poſtremo, ad unam rem ſortes, mortem ſibi conſciſcendam. Pleni ſunt Taciti annales

nales non facinorum bellicorum, quæ ita raro edebantur insignia, quum non hostis metueretur, verum imperator, ut continuo exercituum otio creditum aliquando sit, ereptum ius legatis ducendi in hostem, sed senatusconsultorum adulatione novorum, aut patientia postremorum: pœnarum item bonorum, ab iis principibus irrogatarum, qui ipsum si possent virtutis nomen exscinderent. crimina principum, voluptates, flagitia, incestus abominandi, lamentabiles veneni propinationes, parricidia; aulicorum proditiones mutuæ, criminationes, conspirationes & similes artes accuratissime describuntur, quarum rerum non tam cognitio potest esse fructuosa, quam exemplum pernicioſum. verissime enim de talibus Plinio dictum, parum abesse a docente eum, qui narret. Sed Tacitum nascendi sors huic duræ conditioni alligaverat, (qua de re sæpius ipse gravissime queritur) ut vel silendum ei esset, vel ista scribenda. Tacitum igitur facile nos quidem excusamus, illos excusari non posse iudicamus, ut qui unicum hunc historicum omnibus aliis anteponunt: unum Tacitum politicis hominibus assidue terendum pronuntiant: unum esse, unde principes & principum consiliarii documenta regendæ reipubl. petere debeant. cuius absurditatem sententiæ si vellemus exagitare, facile probaremus, qui ita sentiunt, eos tyrannidis principes hodiernos tacite accusare, vel palam tyrannidis instituta videri velle eos docere. Quid enim principi, præsertim iuveni, lectione illorum annalium esse queat pernitiosius? ut bona exempla, si sæpe ob oculos versentur, proficiunt, etiam non sentientibus nobis: sic mala nocent: paullatim namque descendunt in animos, & vim præceptorum obtinet frequenter legere aut frequenter audire. Sed longius abii quam instituera m: redeo in viam & ad Polybium. Hoc igitur scriptore adeo præstante, adeo utili, ne diutius carendum esset generosæ indolis hominibus, qui literarum studium, cum actione rerum amant coniungere; Dei ope, & tuo, qui hæc otia nobis præstas, immortali beneficio, labore

vero

vero noſtro immenſo, & mediocri induſtria, tandem eſt effectum. Erant infelicis Polybii membra, quæ ſuperiorum ætatum feritas barbara fecit nobis reliqua, huc illuc diſperſa, nos collegimus, & ad ſimilitudinem unius corporis, quoad eius fieri poterat, redegimus. Erant pleraque confuſa, cæca & miſerandum in modum corrupta: nos digeſſimus, temporum luce illuſtravimus, & pro copia librorum veterum atque ingenii ſanavimus. Quam quidem ad rem iis exemplaribus, quæ nobis bibliotheca ſuggerebat, non ita acquievimus, ut aliunde ſubſidia non peteremus. Nam quum eſſem admonitus, penes ſeneriſſimum principem, Franciſcum Mariæ Secundum, Vrbini ducem VI. eximiæ vetuſtatis codicem Polybii extare, egiſſemque per literas cum ampliſſimæ dignitatis viro, Philippo Canio Fraxineo, tuæ maieſtatis tunc temporis apud ſeren. Venetorum remp. oratori, ut eius codicis uſuram mihi impetraret: adeo non gravate princeps ſapientiſſimus, & quod iam olim re probavit, harum literarum & doctrinæ Polybianæ peritiſſimus, quod rogabatur ſivit a ſe auferri, ut literis, quas ad me dedit ſingulari humanitate conditas, diſerte ſignificaverit, ſtudio gratificandi maieſtati tuæ nihil ſibi eſſe antiquius. Non parum inſtituto noſtro codex ille, quo vix alium antiquiorem hodie putem extare, fuit utilis. Iuvit poſtea aliquid & exemplar aliud ſereniſſimi potentiſſimique principis Maximiliani Boiorum ducis, quod virorum gravium & amiciſſimorum nobis opera & favore ſumus conſecuti. Iam quia erat Polybii ſermo, ut hominis Græci, plerisque eorum hodie quibus ipſe ſcripſit, & quorum præcipue intererat poſſe illum intelligere, ignotus; neque ab interpretibus prioribus quicquam auxilii poterat ſperari, qui neque omnia verterant, & pleraque omnia perverterant: nos ut Romane loqueretur, & quidem ſi minus ornate, at intelligenter tamen & caſte; imprimis ut Græcis Romana congruerent, fide bona operam dedimus. Præterea, quum in eius libris & multæ magnæ difficultates reperirentur, quæ lectorem, in

Græ-

Græcis literis rebusque antiquis, præſertim bellicis minus exercitatum, remorari, & lectionis fructum omnem poterant impedire; nos ſtudio & diligentiæ contentione effecimus, (efficere certe conati ſumus) ut omnes ſive rerum, ſive & verborum obſcuritates tollerentur, omnes remoræ amoverentur, omnia denique plana & facilia redderentur. Quin etiam memores eum auctorem interpretari nos, qui tot locis profitetur, ſicut oſtendimus, id agere ſe, ut in hiſtoria ſcribenda artem quaſi quandam rerum gerendarum ſtudioſis traderet: ipſi quoque ad iſtud inceptum hoc propoſito atque hoc voto nos accinximus, ut eorum potiſſimum adoleſcentium ſtudiis inſerviremus, qui ad negotia ſeſe parant. Itaque in horum ſpem gratiæ parum adhuc uſitatum in iſtiusmodi ſcriptoribus explicationis genus, abſit verbo invidia, aggreſſi rationem iis indicavimus, ad veluti præire viam ſtuduimus, quam ſi ingredi voluerint, certum ex hiſtoricis monumentis fructum, & ad rationes vitæ nequaquam pœnitendas utilitates poterunt referre. Sed de commentariis in hunc auctorem noſtris, quorum editionem remorantur hactenus partim moleſtiæ graves, quibus nunc curſus meorum ſtudiorum impeditur, partim figurarum ſculptura, quas ad rerum bellicarum illuſtrationem neceſſario adhibuimus, alius erit, ſpero, dicendi locus.

IO. IAC. REISKE
AD SVA
POLYBIANA
PRÆFATIO.

Auctorum græcorum nulli, quod ſciam, contigit, noſtra patrumque memoria, ut a viris doctis tam diligenter & aſſidue tractaretur, enucleretur, edereturque denique aliis ex aliis formis, atque Polybio contigit, in quem & grammaticorum, & pragmaticorum & militarium ſtudia exarſerunt. Et erat ſane Polybius in primis eo ſtudio dignus, cum is ſit, qui nullo non literatorum generi abunde, in quo elaborent, ſufficiat. Qui verbis ducuntur, licet illis, ut in tabula antiqua artificis, neque ſummi, neque rudis tamen illius, ſed in naturæ ſimplicitate ingenua admirabilis atque ſuſpiciendi, ita in Polybii dictione, non illa quidem terſiſſima, at neque rurſus tamen incultiſſima & propriis ſibi ſuis coloribus nitente hærere. Rerum rurſus civilium domi forisque bene gerendarum, & geſtarum olim, ſi quos cognoſcendarum, & memoriæ mandandarum ſtudium tenet, illos Polybius inprimis & reip. gerendæ & condendæ hiſtoriæ exemplisque præceptisque ſaluberrimis inſtruit. Magiſtri quidem ille ſupercilium haud raro induit; facile tamen id feras, in magiſtro eo, qui, quam profiteatur artem, eam & tota vita exercuerit, & quas res exponat, iis ipſe interfuerit, partim etiam præfuerit. Fecit ea res, ut, ex quo intellecta eſſet huius auctoris multiplex uſus atque præſtantia, viri docti, quod

modo

modo dicebam, ad eum, quibus quisque poſſet, modis ornandum, ſigno quaſi ſublato concurrerent. Ne primos illos nunc commemorem Polybii editores atque interpretes, de quibus ſuo loco paulo poſt diligentius diſſeram, nunc hos noviſſimos tantummodo attingam, quorum lucubrationes vix ac ne vix quidem oculis uſurpavi, & de quibus fando ſolummodo inaudivi. Quos inter agmen ducit Follardus, qui ſignum quaſi extulit inſecutis Anglis Germanisque noſtris, qui ab illo Gallofranco tribuno militum excitati de Polybio anglice germaniceque reddendo cogitare cœperunt. Viennæ Auſtriacæ aiunt & Berolini duas eodem tempore curatas Polybii germanicas interpretationes. Neutra enim ad manus noſtras pervenit. Poterat hoc noſtrorum ſtudium ad levitatis quoddam genus referri, unde parum gloriæ ad Polybium, parum fructus ad ſtudia literarum rediret. Fervet enim hoc ſæculum, quod nunc agimus, converſionibus in linguam noſtram auctorum omne genus, veterum, recentium, francicorum, anglicorum, & imitatione ſtudiorum, in quibus ultra Rhenum & ultra Oceanum poſiti populi verſentur. Cœperunt etiam haud ita pridem noſtri græcos auctores germanice interpretari; quo e conatu ut ad literarum ſplendorem patriæque decus quam plurimum accedat, Deum oro. Auſpicatis enim verbis uti, quam diris ominibus, ſatius eſt. Dabo hoc patriæ caritati, ut bene de fortunis eius ominer magis, quam, ut inſtituti me pœnitere aiam, non peſſimi illius quidem, in quo tamen haud ſapientiſſima nos conſilia ſequi videam. Qui parum ſoleam aliena curare, & quo magis ætate literisque proficio, eo magis ſatagere mearum rerum ſtudeam, naſuti cenſoris operum alienorum perſonam refugiam atque deteſter, quod uſu rerum, ſæpe mihi peracerbo, didicerim, in iudicando ſæpe nos temeritate labi, & noſtri iudicandi libertate alios offendi & ad recalcitrandum irritari, vidi tamen hoc in genere eiusmodi quædam, quæ ſuos auctores nè germanice quidem ſatis, nedum græce callere teſtarentur. Vt cœperim de

toto hoc genere deſperare. Aut ſatis habemus, græcos auctores e francogallicis interpretationibus, quas vitioſiſſimas eſſe omnium confeſſione conſtat, germanice reddere, aut noſtro marte eos ita redditos venditamus, ut non poſſint homines ætate ſua in ſapientibus habiti ſapientibus, qui hodie ſunt, non ſordere & deriſui eſſe. Nondum ſatis diligentem græcis literis operam navavimus, ut negotium hoc convertendi e græcis proſpere decenterque nobis ſuccedere poſſit. Facit tamen hoc, in quod ab aliquot annis exarſere librarii noſtri, ſtudium græcos auctores ſua primigenia oratione utentes typis ſuis recudendi, ut ſperemus, fore, ut brevi poſt etiam hæc labes tollatur. Quibus in auctoribus græcis elegantia typographeorum Lipſienſium nuper admodum illuminatis non infimum locum obtinebit Polybius, cum in manus hominum pervenerit, quod paulo poſt fiet, publici iuris factus, qui nunc ſub oculis moderatoris dexterrimi, Erneſtii V. C. & omni de literatura elegantiore preclare meriti, operarum Breitkopfianarum diligentiam exercet. Quæ operæ in Diogene Laërtio artis & diligentiæ ſuæ eam fidem fecerunt, ut nullus dubitem, eum quoque Polybium ab ipſis eſſe profecturum, qui cum primogenio exemplo Amſtelodamenſi de nitore cæterisque laudibus artis typographicæ contendat, in quibusdam etiam palmam illi eripiat.

In hac igitur, quæ undique facta eſt, doctorum hominum ad ornandum Polybium concurſatione deeſſe illi auctori nolui, a cuius lectione me ſæpius neque parum oblectatum meminiſſem; ſed quæ in eum obſervata tot lectionibus collecta in commentariis haberem, ea expromere & publicum in locum producere decrevi. Quo conſilio exſequendo quid ſim poſt alios conſecutus, penes alios eſto iudicium. Mihi quidem viſus ſum non omnino nil egiſſe. Quod quisque poteſt, ſi liberaliter id in commune confert, efficitur tandem, ut quacunque in re & arte elaboretur, ea ad perfectionis culmen extollatur. Neque

auſim

auſim præfationem ad Polybium pragmaticam polliceri, cui conſcribendæ parem me non eſſe ſentio; videturque is, quem modo honoris ergo nominabam, V. C. illa præfatione, qua frontem Polybii Lipſienſis, tanquam faſtigio ſplendidiſſimo, exornabit, omne deſiderium operæ noſtræ, quæ tralaticia & contemnenda eſt, exſtincturus eſſe. Interea donec illa in publicum prodeat, de Polybio expoſitio, quam neceſſe eſt cæteris ſimilem, h. e. & doctam & exquiſita cum orationis elegantia exaratam eſſe, iuvat hoc loco noſtra quædam cum de ipſo hiſtorico, tum de interpretibus eius editoribusque cogitata & obſervata per lancem ſatyram, quod aiunt, effundere.

Polybii multæ ſunt inſignesque laudes, quas ſi omnes exſequi oratione velim, & [illegible]queam, materia vires exſuperante, & actum agam. Nulla enim caruit ætas hominum iis, qui in illis celebrandis multi atque ſeduli eſſent. Sed agnoverunt iidem nævos quoque Polybii non minus inſignes, in quibus facile princeps eſt illa profeſſoria, hoc eſt, ſupercilii & faſtus atque inſolentiæ plena, moleſta & odioſa docendi & præcipiendi ratio, in levibus & apertis atque in medio poſitis ingerendis importuna & modum excedens. Tum nimis apertum & iniquum Romanarum partium ſtudium, quod eum ſæpe invitum & velut reluctantem, ſæpe rurſus imprudentem, plerumque volentem, in transverſum egit, ut eadem libidinis turpitudine, quam in aliis notat, veritatem rerum geſtarum mendacio corrumperet, nitidamque eius lucem adulationis cuiusdam aut diſſimulationis nebula quaſi obſcuraret. Quæ tamen illi, quæ ei obtigit, naſcendi ſorti fortunisque, quibus uſus eſt, facile æquus quisque condonet. Ita enim græci ante Polybium ſcriptores de rebus Romanis, cum ieiune & exiliter, tum perverſe & ridicule tradiderant, ut, quorum errores demonſtrare atque reprehendere vellet, neque facere poſſet, quin id ageret, eos vix poſſet ſine ſtomacho dimittere. Deinde ruſticitas quædam morum ex oratione

erumpens in homine militari, quam civili, facilius ferantur. Sed Polybium in armis & peregrinationibus plurimum ætatis peregiſſe conſtat. Cui hominum generi ſolet ex illa, quam ſequuntur, vitæ ratione levitatis aliquid puerilis & illius ſenilis, quam Græci appellant, ὀψιμαθίας adhæreſcere, quæ gemina animi labes in rebus communibus atque omnium uſu contritis oratione iactandis & inculcandis, quaſi eæ res a rerum inde principio ad hoc diei ignoratæ & nunc primum repertæ eſſent, tum in contemtu & faſtidioſa alienæ diligentiæ elevatione, in ſuæ putida oſtentatione aut induſtriæ aut peritiæ multifariæ odioſe & proterve velut exſultat. Cum locos communes vel paſtoribus obvios ipſo in opere Polybii integro lego, magna orationis ambitione venditatos, fero & condono reliquorum præſtantiæ. Sed iudici[illegible], vel tarditati potius carnificis, quisquis ille fuit, qui Polybium membratim contruncavit, ſuccenſeo, qui ſatius duxerit, tot triviales locos e Polybio enotare, quam inſignium rerum geſtarum memorias poſteritati transmittere. Numeremus in cæteris Polybii infortuniis hanc hominis male feriati ſtultitiam, cui caput illius adverſa ſors obiecit. Sed tota tamen dictio prodit auctorem non literatiſſimum, terſæ quidem dictionis ita non ſtudioſum, ut ſupinam potius & lutulentam vel affectaſſe videatur; quo ne quis, opinor, opus limatum & perpolitum & lucernam rhetoris olens ab eo, qui in caſtris & itineribus conſenuiſſet, profectum non eſſe diffideret. Verbo, dictio patriam olet. Romanorum ſtudioſorem eum fuiſſe, quam verum & æquum patiatur, negari quidem nullo modo poteſt, cum res ipſa loquatur. Nam quæ in ipſis notare ſimulat, ſunt ea primum pauca numero, tum ad fucum lectoribus faciendum, cæterarumque laudum prædicationi, cum modum excedere videatur, fidem tanto facilius conciliandam comparata; ſunt denique levia & tralaticia; ut nimis etiam apertum ſit, eum, cum res Romanas extollit, adverſariorum deprimit, oratorem agere alteri parti ſtudentem, non auctorem rerum

rum utrique parti æquum. Eſt etiam ubi videatur Polybius veteratoriis artibus uſus, prævaricatorem agere, & Romanis ita patrocinari, ut eorum cupiditatem, quam defendere ſtudeat, deridendam præbuerit. Vnde colligo, Polybio neque ſenſum veri, neque voluntatem ex animi ſententia dicendi, defuiſſe, ſed locum. Ecquis unus omnium neceſſitati non ſerviat eidem, eadem loci iniquitate concluſus. Erat Polybius in poteſtate Romanorum, fortunas iis ſuas debebat omnes, earumque conſtantia ex voluntate Romanorum apta erat; plurimum Romæ poterat, (proinde atque homini græco ibi licebat poſſe) Scipionum gratia ſtabat aut cadebat, quorum beneficiis & familiaritate obſtrictus tenebatur; quos auctores, quos moderatores, quos cenſores & quaſi emendatores habebat hiſtoriæ ſuæ, qui paſſuri non erant, ut in annalibus ſuis aliquid ad Græcos, populares ſuos, proderet Polybius, quod gentis Corneliæ cunctique P. R. gloriæ derogaret. Neque Cenſores, aut ſi qui alii magiſtratus commentarios in vulgus edendos perluſtrabant, hoc erant commiſſuri, ut a Polybio gerendæ reip. Rom. penetralia exteris reluderentur, aut ulcera & cicatrices velut nudarentur. Stultitia ergo ſit ab eo verum expectare, quem beneficiorum cum acceptorum recordatio tum ſperandorum exſpectatio, tum cura ſalutis ſuæ, tum denique tot acres appoſitæ vigiliæ, ſæpe aliquid auribus dare, ſæpe gratiæ, ſæpe animo memori, ſæpe diſſimulationi atque taciturnitati cogeret. Condonemus hoc hiſtoricæ arti, cuius ea eſt natura, ut, ſive in laudes effuſa eſt, ſive in vituperando ſedula & ſagax, nunquam poſſit non ſuſpicioſa eſſe.

Venio ad editores & interpretes Polybii, quibus quia Livius accenſeri quodammodo poteſt, dicam de eo, ut omnium antiquiſſimo, primo loco. Livio igitur, Polybium Latine, quod ſæpe facit, reddenti, cave cœcam fidem ne adhibeas. Interpres ille parum fidus eſt. Sæpe labitur cum ignoratione græci ſermonis, tum lubricitate

generis illius, quod interpretando ſecutus eſt. Quod genus eſt periculoſiſſimum, licentiæ, quam ſibi arrogat, enormitate. Dum conſequi hoc ſtudet Livius, ut elegans, ut liberalis, ut ſui iuris homo, ut ſuæ dictionis arbiter, non ſervus alienæ, ut plane latinus, & auctor rerum primigenius habeatur, tum fit incurius, ſupinus, infidus & mendax, teſtis improbus, auctori ſuo diſſimilis atque diſſidens. Sæpe cum ſuos Polybio de rebus cogitandi modos & latinas dictiones accommodat, ita græca latine reddit, ut neque rebus ipſis conſentiat eius oratio, neque moribus græcis, neque Polybianis ſententiis. Poſtrema primis permutat & miſcet, alia neceſſaria excludit, alia de ſuo affingit, cum non neceſſaria, tum & falſa & repugnantia; quæ græcus auctor plane, perſpicue, apte, certe, concinne, breviter, naturæ rerum denique conſentanee narraverat, ea ſæpe Livius confuſe, dubie, cum ubertate rem impediente reddidit, ut haud raro dubites, ſatin latinæ linguæ callens fuerit. Quod quanquam prævideo fore, quibus inſanum & nefandum atque deteſtabile dictum videatur, ab eo profectum homine, qui ipſe latine ſe neget ſcire, (erunt autem hi illi, qui multi ſunt, qui lactea Livii, quam aiunt, ubertate ita capti tenentur, ut horribilem & exſecrabilem eiusmodi ſententiam ne ad aures quidem ſint admiſſuri;) conſtitit mihi tamen non uno documento eius rei, quam contendo, fides, neque ſane miror veteribus, qui melioribus inſtructi eſſent hiſtoriæ Romanæ auctoribus, iis, quibus carendum noſtræ ætati eſt, Livium aut obſcurum fuiſſe, aut plane ſorduiſſe. Græcæ quidem linguæ non penitiſſime callentem non raro Livius ſe prodidit. Neque tamen iccirco minus utile, minusve neceſſarium etiam eſt, ab editore Polybii hanc provinciam diligenter adminiſtrari, & ea via, quam Fulvius Vrſinus inſtitit, decurri. Mihi, cum otio, præſidia rei huius bene gerendæ defuere, cum editio Livii Drakenborghiana nuper deeſſet. Denique editorem Polybii me non gero.

Iuvat

Iuvat, quis in hunc locum incidi, iis occurrere, ſed breviter, qui, cur a græcis auctoribus edendis alienior animo eſſem, me interdum interrogarunt. Quibus cum alia excuſavi, quæ hic repetere nil attinet, vulgaria, partim quoque invidioſa, ſed cum natura humana coniuncta, & a ſimplicitate morum atque ingenuitate & pudore non ſuperanda, cui cum vanitate & audacia & verſutia & cupiditate contentio eſt, tum unam hanc reticui cauſam penitiorem, quam ad doctos homines deferre par eſt, quibus eam confido me facile approbaturum. Auctorem græcum iis modis edere, qui cum ipſum deceant ornentque atque illuminent, tum eorum ſtudia ſublevent, ſi qui illius lectioni otium ſtudiumque ſuum conſecrent, & edentium denique exiſtimationi ſuffragentur, id vero perarduum eſſe & paucis datum exiſtimo. Recudendam operis typographicis auctoris alicuius editionem aliquam vulgo probatam, eique notulas ſubitarias appingere, mea indignum perſona puto. Chartis eiusmodi ætatem haud ferentibus, ut vinis patriæ limites non excedentibus, non multum proficimus, ad literarum quidem fundum amplificandum & ditionem proferendam. Editori autem, qui quidem nomen hoc mereri & tueri velit, tot res ſunt agendæ, quæ commentarienſibus committi nequeant, tot curandæ & evigilandæ, tot ſcopuli præternavigandi, ut refugiat animus recordationem faſtidii atque reprehenſionum, quibus editor quicunque novus caput obiicit. Incendio invidiæ, & faſtidii, & ſtomachi occurrit, quisquis hanc aleam iactat; cui incendio vix auſim meam exiſtimationem rurſus committere, poſteaquam in illo rogo, quem Caſpar Burmannus ad Petronium conſtruxerat, pæne conflagravit. Quod enim mihi contigit, ut indigner, ut ſtomacher, ut fæviam, cum Caſaubonum, ſed quantum heroa, in Polybio videam, in Cicerone Victorium, alios divinos homines in aliis auctoribus, ſeu errore occæcatos, ſeu libidine & intemperantia actos, pro bonis lectionibus veterum editionum, aut etiam pro vitioſis illis quidem, iis tamen lectionibus, e quibus ſatis clara & in-

ſignia veræ lectionis veſtigia exſtarent, commenta ſua ſubieciſſe, quibus auctorum ſententia fœdum in modum deformata & obliterata eſſet; potero effugere (ſic ſæpe ego mecum) quin in idem incendium odii & convicii incidam, ſi auctorem ullum quempiam attigero? Ecquis enim ita felix, ita prorſus ultra humanæ ſortis debilitatem evectus eſt, ut ſperare poſſit, in hoc genere nunquam fore, ut turpiter ruat. Quæ ſemel adſperſæ bonis auctoribus ſunt labes, & quæ impoſita vulnera ab eorum manibus, quorum magnum in literis nomen eſt, eæ tenaciter ipſis adhæreſcunt, tanquam mala ſcabies, & latius ſerpunt, ad poſteros etiam, ut ægerrime detergi & eradicari queant. Errores autem maiorum per noſtras editiones propagare, & ea, quæ ne ipſi quidem intelligamus, poſteris cum commendatione quadam noſtra obtrudere, dedecus eſt, animi cupidi, lucro dediti, levis, & rerum omnium incurii, a viro bono denique, qui velit is eſſe, quem profiteatur, alieniſſimi. In libellis autem animadverſionum aut veriſimilium, aut periculorum criticorum, aut utcunque lubet appellare, quamvis male rem agas, fraudi tamen auctori tuo tua ſeu inſcitia ſeu infelicitas non erit; cum integrum ſit editori & lectori cuique eius auctoris, quem tu tibi tractandum ſumſeris, e tuis coniecturis, quantum viſum fuerit, excerpere & ad uſum ſuum transferre. Denique auctoritas mei nominis apud librarios inſtitores nulla eſt, neque, ut aut magna, aut ulla ſit, multum laboro. Sed hæc hactenus.

Polybii igitur, ut illuc redeat oratio, laceros artus collegere homines doctiſſimi ſummo ſtudio, alii ex aliis, & ita magnis temporum intervallis, ut nondum plane cœperim deſperare, quin aliquis codex undeunde exiſtat, Polybii nova quædam fragmenta conſervans. Sed in his, quæ nunc tenemus, Polybii ruderibus colligendis & componendis ſignum quaſi ſuſtulit Vincentius Obſopœus, ludi literarii Onolzbachenſis, ni fallor, moderator, homo de lite-

literis græcis optime meritus. Primos ille Polybii quinque libros primus græce typis Secerianis Hagenoæ A. 1530. edidit, e codice, de quo ipſe pauca hæc memoriæ prodidit: „Cum non ſine mente, non ſine numine divum, „opera ornatiſſimi viri, Iacobi Ottonis Ætzelii, cauſarum „oratoris optimi, Polybii reliquiæ græce ad manus ſuas per„veniſſent, exiluiſſe ſe gaudio.“ — Vnde ille Ætzelius codicem illum habuerit, ſuumne, an alienum, neſcimus; quo item devenerit; &, in quo maxime laboramus, pluresne Polybii codices penes Obſopœum fuerint, id nos plane celatum voluit, pro ea, quæ illorum erat temporum, tarditate, qua factum eſt, ut in nugis illi conſumerent ſuas præfationes; quæ rem continerent, ea præterirent, qui fuiſſent ſui codices, unde extracti, qua fide ipſi verſati ſint in iis exprimendis, quid ipſorum ingenio, quid librorum auctoritati in acceptis referendum ſit, ea omnia tacita transmitterent. — Eſt igitur hæc editio Polybii princeps a Gronovio inſpecta illa quidem, at non ita diligenter, ut mihi relicta non ſit ſeges bonarum lectionum haud contemnenda. Nondum ſatis conſuevi cum Baſileenſi ſeu Herwagiana, ut decernere poſſim, qui eam curarunt, illine primi induxerint eas lectiones, in quibus Caſauboniana ab Seceriana ſeu Hagenoënſi diſcedit, an Caſaubonus, vel Fulvius Vrſinus, quem Caſaubonus in multis ſecutus videtur eſſe, auctor earum diſcrepantiarum fuerit. Non paucas reperi in editione Caſauboni lectiones pravas, quas aut Caſaubonus, aut Vrſinus, aut quicunque alius invexit, errore, quod earum lectionum, quæ in Hagenoënſi ſunt, vim, cum ſunt bonæ, cognitam perſpectamque non haberent, aut cum ſunt malæ, non ſic, ut oportebat fieri, emendarint; quod utrumque genus vulgo παραδιορθώσεις ſeu emendationes vitioſas appellitamus. Dedi igitur operam, ut lectiones Hagenoënſis huius codicis, quæ non eſſent manifeſtæ mendæ, indicarem; quarum alias ſine laude, alias ſine nota transmittens, in medio poſui, meritas autem commendatione inſignivi. In quo quin magnam inierim

inierim gratiam a bono quoque & æquo, nullus dubito, qui certus ſim, non minus bene de vetuſtis auctoribus mereri eos, qui bonas lectiones a poſteriorum editorum inſcitia & levitate loco depulſas & in exſilium quaſi ablegatas, e ſitu primarum editionum, incultiorum quidem illarum, ſed multo fideliorum, revocant & quaſi reſuſcitent, & demonſtrent ignorantibus, dubitantibus commendent; quam qui ſuo marte veras lectiones reperiant & ex ingenio ſuo reſtituant. Non commemorat Obſopœus in præfatione, niſi unum illum codicem Noribergenſem, quidni enim ſic appellem, quem Norimberga accepiſſet ad ſe miſſum. Affert tamen idem haud uno loco varietates lectionis. Quas unde habuit? cur nil curavit ea de re nos docere? Suſpicabimurne, plures Polybii codices penes eum fuiſſe? indigni nempe eramus, quos certiores ea de re faceret. an amici eum de lectionibus quibusdam admonebant? quid ergo hanc amicorum officioſitatem ingratus diſſimulavit? Nimis hercle ἀέχαϊοι erant boni illi ſenes, quorum præfationes teſtantur, ipſos ignoraſſe, quæ natura, quæ munia ſint præfationum libris in vulgus exituris præfigendarum. Si peccandum neceſſario eſt in alteram partem, præferre nullus dubitabo præfationis inſolentiam & nimiam ſedulitatem in multitudine codicum, ſæpe triobolarium, decantanda ſeſe iactantem, quam iſtam veterum ſupinitatem & ieiunitatem, quæ loco præfationis declamationem, vix illiteratiſſimo quoque plebeiano dignam, nobis obtrudit. Næ viros principes, qui tum erant, ad quos illi ſuos libros cum iſtiusmodi literis mittebant, aut faciles, aut ingenuo palato fuiſſe, neceſſe eſt.

Septimo anno poſt, Lazari Bayfii prodiit Baſileæ libellus de re navali veterum, & in eo particula libri XVI. Polybianæ hiſtoriæ, quæ particula de prœlio navali ad Chium Philippi cum Rhodiis & Attalo tradit. Bayfio, quod ipſe teſtatur, illam particulam Victor Fauſtus impertiverat, e Codice Veneto S. Marci, ut videtur, excerptam.

Ipſo

Ipſo eodem anno 1537. eadem in urbe Baſilea prodiit ex officina Io. Oporini particula illa celebris e libro ſexto Polybiani operis ſuperſtes, de militia Romana, cum Ioannis Laſcaris latina interpretatione: qua in particula explananda tot doctorum hominum, qui militiam Romanam perveſtigarunt, ingenia laborarunt, Lipſii, Salmaſii, Schelii, nuper admodum Pœſchelii, ne alios commemorem. In præfatione teſtatur Oporinus, illud opuſculum ad ſe miſſum eſſe a Iacobo Bedroto, qui in univerſitate Argentoratenſi, tum primum naſcente, bonas literas docebat. Hic eſt ille (iuvat enim & æquum eſt, nos obſcuri hodie nominis, ſed tempore ſuo non ignobilis, memoriam velut e cineribus ad vitam & lucem revocare) hic igitur Bedrotus ille eſt, qui, cum ad Florum & Athenæum ſuam operam contuliſſet, tum etiam ſcholiaſten Homericum in officina Rihelana A. 1541. curavit, ut emendate excuderetur.

Duodecimo anno poſt, hoc eſt A. 1549. eadem in urbe Baſilea, quæ olim, ceu fœcunda mater, nobiliſſimos libros græcos & latinos ſinu fertili effundebat, officina Herwagiana inſignem, & tum temporis pleniſſimum emittebat codicem Polybii, continentem, una cum quinque illis primis libris, qui ſoli hodie integri ſuperſunt, ab Obſopœo primo editis, acceſſionem nobilem, eclogas puta, quas vulgo uſurpant, librorum duodecim a quinto proximorum. Cuius editionis copiam ſerius mihi factam eſſe, cum operæ iam noſtras ad primos quinque libros animadverſiones excudendo abſolviſſent, impenſe doleo. Ex quo factum eſt, ut nondum ſatis otii mihi occurrerit, ad comparandam hanc editionem cum Hagenoënſi. Faciam tamen, ut, quæ ipſa de ſe illa prædicet, cum ea illinc huc translata repetiero, tum iis, qui nos legent, conſtet. Arnoldus Paraxylus Arlenius itaque, Belga, qui Baſileæ extremam ætatem egit, homo de Platone, Ioſepho & aliis Græcis egregie meritus, codicem hunc a ſe curatum profitetur,

fitetur, in epiſtola, codici græco præmiſſa, qua eum ad Diegum Hurtadum a Mendoza, Cæſaris (is eſt Carolus Quintus) ad Paulum III. P. M. Legatum, miſit. Verba Arlenii ad rem præſentem facientia, (nam plurima pars epiſtolæ aut in alienis aut in tralaticiis conſumitur) ſed ea, quibus opus nobis nunc eſt, hæc ſunt: „Huius itaque ſcri„ptoris libros quinque priores, quorum editionem ante „annos aliquot docto viro Vincentio Obſopœo debebamus, „iam ad manuſcriptos codices collatos una cum ſexto „propemodum integro damus, multo tum caſtigatiores, „tum alicubi plenius inſtructos. quibus ex domeſtica tua „bibliotheca duodecim conſequentium librorum epito„men, quam a Corcyra, e doctiſſimi ſenis Io. Moſchi „libraria ſupellectile, nactus eras, nunc primum adieci„mus, rati, hoc tam ſingulari beneficio —“ mitto reliqua. Quæ latina Nicolai Perotti interpretatio quinque priorum Polybii librorum Hagenoënſi codici adiecta eſt, eadem huic quoque Herwagiano eſt ſubiecta, una cum acceſſione a Wolfgango Muſculo profecta, qui eclogas latine reddidit. Agebat enim ille tum temporis, diſceſſione a partibus Lutheranorum facta, Baſileæ, ſedes ſtabiles & fortunas ſecundiores circumſpiciens, loco tam iniquo, ut, quicquid occurreret, aut obiiceretur, unde victus honeſte quæreretur, id neceſſe haberet, velut tabulam in naufragio, arripere. Non iam mirum eſt, eum ad provinciam vocatum acceſſiſſe, quam ab eo non feliciſſime geſtam eſſe, facile credo Caſaubono & aliis affirmantibus. Ipſe enim ego Muſculi interpretatione uſus nunquam ſum. Sed ab homine, græce mediocriter, ut aiunt, docto, & ab hiſtoria literisque profanis, quas appellant, derelicto, aut abhorrente, & ſacris conſecrato, & e textrina ad literarum ſtudia, ætate iam affecta translato, ecquid poterat hoc in genere exſpectari, niſi invita & pingui Minerva natum. Ex huius itaque Muſculi epiſtola latinis præmiſſa intelligo, Perotti latinam interpretationem ab eo reformatam eſſe, rogatu Herwagii, cui negat potuiſſe hanc operam

ram poſtulanti denegare: tum illud; invitum Muſculum & detrectantem, ſed rurſus eiusdem Herwagii precibus & donis victum, ad interpretationem eclogarum ſuſcipiendam acceſſiſſe. In quo ingenuum hominis animum & pudorem cum cerno, tum ſuſpicio. Nihil præterea aliud, quod ad Polybium faciat, & noſtra interſit ſcire, in illa Muſculi præfatione reperi, quæ homiliæ cuidam, quam præfationi ad Polybium, eſt ſimilior, pro illorum temporum ingenio. Paſſim apparet in margine Herwagiani codicis lectionum varietas, quæ videtur excerpta eſſe e codice Auguſtano; de quo paulo poſt pluribus dicetur. Ad hunc Herwagianum codicem accommodatæ ſunt emendationes Fulvii Vrſini, qui poſt Arlenium & Muſculum primus bene de Polybio meritus eſt.

Vir enim hic doctiſſimus cum ab Antonio Auguſtino, Archiepiſcopo Tarraconenſi, codicem accepiſſet, in quem coniecta eſſent excerpta e libris ab octavo poſt decimum inde usque ad finem operis, & illa quidem inprimis excerpta, quæ ad legationes pertinerent, unde vulgo Excerpta legationum uſurpantur, quo nos etiam interdum utemur nomine brevitatis ergo, quanquam ſatius ſit Vrſinina appellari: ſed illum codicem cum Fulvius accepiſſet, miſit eum ad Chriſtophorum Plantinum, typographum ætate illa nobilem, qui Excerpta hæc A. 1582. in forma quarta dicta typis ſplendidis excuſa divulgavit. Inſunt illi volumini præter fragmenta Polybii, Dionyſii Halicarnaſſenſis, Diodori Siculi, Appiani, Dionis Caſſii, F. Vrſini ad hæc omnia animadverſiones, tum etiam in fine emendationes ad codicem Herwagianum. Inſigni utique dono rem literariam auxit Vrſinus hac proferenda Polybiani operis particula; & pro ea, quæ mirifica in Vrſino erat, ſagacitate atque felicitate, multas codicis Hiſpanici fœdiſſimas mendas dexterrime ſuſtulit; ſed quod accidere ſolet magnis ingeniis & conſcientia ſuæ virtutis fidentibus, ut intra modum conſiſtere nequeant, id ipſe quo-

quoque paſſus eſt, ut elatus proſperitate medelæ, quam locis multis Polybii prodigioſe in codice Hiſpano depravatis ſenſerat ſe feliciſſimam adhibuiſſe, delaberetur ad eius audaciæ præcipitium, ut ipſe nova Polybio vulnera eadem manu, quæ alia ſanaſſet, imponeret. Non uno in loco ſpero planum a me factum eſſe, Vrſinum aut ſana vitiaſſe ultro, aut vitioſa in peius mutaſſe, ubi fomentis leniori-bus res poterat peragi: & ubi blanda manu ſuſpenſaque malum tolli poterat, igni ferroque graſſatum eſſe. Quod facinus, audax quidem illud, nec ferendum, æquiore ferremus animo, & minore cum damno noſtro, ſi, qua ſæpe uſus eſt cautionis prudentia, ut ſui codicis mendas fideliter atque diligenter indicaret, ea prudentia ubique voluiſſe uti. At enim vero nos ille quam ſæpiſſime hiantes deludit, & deluſos dimittit, quum ita, ut quoque loco fecit, ſe emendaſſe, vitioſum ibi locorum fuiſſe codicem ſuum affirmat. Quæ res mihi ſæpe vehementer ſtomachum movit; cernenti, ſi acrius & ſubtilius inſpicerentur veſtigia pravarum lectionum, cum eas demonſtrare Vrſino viſum eſſet, ſæpe meliorem & veroſimiliorem ſententiam ex iis erui poſſe, quam Vrſinus eruiſſet. Negari profecto nequit, hanc Vrſini audaciam & Polybium & alios auctores græcos (nam ad alios quoque cupidas manus extendit) tabo quaſi quodam Celæneo perfudiſſe. Nam aut non agnovere eum viri docti, Caſaubonus in Polybio, Hudſonus in Dionyſio Halicarnaſſenſi, aut ab eo ſibi ſatis non caverunt: quo factum, ut Vrſini commenta pro veritate Polybiana & Dionyſiana amplecterentur, & velut pupulam exornarent. Eccui vero tandem tanti nominis quantum Vrſino merito & tum contigit, & hodie manet, non præſtinguat oculos ſplendor. Eccui tantæ doctrinæ copia, tanti acuminis felicitas non imponat, & aſſenſum extorqueat. Quod anno ſuperiori iam, cum ad tertium harum Animadverſionum volumen præfationem conſcriberem, querebar, fuiſſe ſæculo XV. exeunte & vertente XVI. in Italia viros doctos, qui veteres auctores commentis ſuarum,

rum, quas videri volebant, correctionum, ſed depravationum potius, contaminarent, in eo cum Naugerio & Sigonio, Fulvium hunc Vrſinum inprimis notabam. Nam Petrum Caſtellum, cuius deteſtabile latrocinium in Ammianum Marcellinum Henricus Valeſius dignis modis exagitavit, aliosque eadem de familia gladiatores, quos haud paucos illud ſæculum apud Italos tulit, dignos commemoratione non habeo. Quantam Hermolaus Barbarus invidiam ſibi Plinio corrumpendo contraxerit, quantam Naugerius Tullio, nemo facile hodie eſt, qui ignoret. Ne ipſe quidem Petrus Victorius, homo de Tullio immortaliter meritus, ad eius reſtaurationem eam, quam afferri par erat, religionem attulit. Ad Livium conjecturas ſuas Sigonius pro lectionibus codicis antiqui, quem penes ſe eſſe mentiebatur, venditavit. Henricus Stephanus in Italia, cum ibi ſtudiorum cauſa peregrinaretur, artes has nequam impoſturæ literariæ videtur didiciſſe, quas poſtmodum ſtrenue, ſi quis alius, exercuit, qua de re hodie inter omnes conſtat. Videtur eodem ille contagio generum polluiſſe. Sed ad Fulvium redeo. Dionyſii Halicarnaſſenſis Antiquitates Romanæ in membranis pervetuſtis Romæ aſſervantur in bibliotheca Vaticana. Codex ille præſtantiſſimus eſt ſummique faciendus, quo ſi recte uti noſſet Hudſonus, paratis & præſentibus opibus, poterat ille Dionyſium multis modis emendatiorem dare. Verum non erat Hudſonus editor Dionyſio par & dignus. At eſt tamen illa membranarum Dionyſiacarum præſtantia non nullis Vrſini depravationibus contaminata. Verbo, quanquam in non multis auctoribus flagitium hoc compertum uſu meo habeo, auſim tamen affirmare, nullum eſſe, neque græcum neque latinum auctorem a quo corrumpendo correctores, naſutum & imprudens genus, ſuæ temperaſſent libidini. Quo in genere ut quisque peccavit a literis inſtructior, (nam aut licebat illo ſæculo ita inſanire, aut etiam laudi ducebatur) ita intra veniam peccavit magis. Et haud ſcio, quotquot eo furore perciti fuere,

an omnium unus nemo Vrſino cum ratione magis inſanierit. Sed ſatis hac de re, de qua plura, ſi opus erit, afferentur, cum noſtras ad Tullium animadverſiones in publicum proferre per fata licebit. In hoc quidem, quod nunc carceribus emittimus, opuſculo ſatis planum confido a me factum eſſe, in edendis fragmentis legationum Fulv. Vrſinum non ea fide verſatum eſſe, quam præſtare editor quisque ſapiens & religioſus debet. Neque dubito, ſi ſatis otii mihi ſuperfuiſſet, ad emendationes Vrſininas codicis Herwagiani examinandas, (nam, ut dixi, currente rota, & operis typographicis in hoc opere medio prælum exercentibus, ſchedasque identidem novas poſcentibus, offerebatur codex Herwagianus, ut vix ſatis ſupereſſet otii ad illum codicem cum vulgato Gronoviano conferendum) ſi igitur anguſtiis temporis excluſus non fuiſſem, poteram, quod certo confido, planum facere, etiam in emendandis illis libris Polybii, qui codice Herwagiano continentur, ſimilem Vrſini ſortemque fidemque eſſe, ſuaque illum ſorte implicaſſe Caſaubonum, quem ſuſpicor, ſignis haud ſcio an non fallacibus, Vrſini auctoritatem haud raro temere ſecutum, & ab ea in errorem pertractum eſſe, etiam in libris ab Herwagio editis, ut pro certo compertum habeo, Vrſini auctoritatem Caſaubono in fragmentis legationum impoſuiſſe. Pertinet huius rei inveſtigatio ad editorem Polybii navum & peritum; quem non profiteor. Id vero ſancte affirmare poſſum, me Vrſininis illis emendationibus XVII. priorum Polybii librorum, cum has Animadverſiones conſcriberem, non tantum non uſum eſſe, ſed ne potuiſſe quidem illis uti, quippe qui codice Herwagiano carerem, ad cuius paginas & verſus illæ Vrſininæ notulæ ſunt accommodatæ. Si quid igitur illis ineſſe deprehendetur, quod cum noſtris conſentiat, ab æquitate lectorum ſpero me hoc impetraturum, ut nullam cupiditatem meam ſuſpicentur, (ſuum enim cuique & tribuere & ſervare integrum diligenter curo, & nunquam non curavi) ſed ad fortuitum aliquem caſum

caſum & ad veritatis vim referant, quæ duos homines tantis temporum locorumque intervallis disiunctos in easdem ſententias deduxerit. Ægre id quoque in Vrſino fero, quod quas profert emendationes codicis Herwagiani, illas ad nullius auctoritatem retulerit; notulis ſolummodo quibusdam adſperſit has breves voculas *Ex ingenio*, cæteras omnes auctoritate deſtitutas proiecit, dubios nos & incertos relinquens, cui codici illæ ſint in acceptis referendæ. Relictum nihil nobis eſt, niſi ut ſuſpicemur, eas ex eodem codice Tarraconenſi expromtas eſſe, unde prolata ſunt fragmenta legationum. Deinde vehementer dubito, ſolæne illæ notulæ, quibus hoc ſignum *Ex ingenio* adhæret, ſint coniecturæ ingenii Vrſinini, an ſint etiam in reliquis, quæ ab illo ſigno derelictæ ſunt, notulis, nonnullæ ab eodem ingenio, non a codice manuſcripto profectæ, id quod valde probabile mihi accidit.

Sed ſatis diu, & ſuper etiam, in Vrſino hæſimus. Quare age tandem ad Caſaubonum tranſeamus, qui traditam ab illo lampada ſuſcepit, & ita Polybium ornavit, ut nemo alius magis. Vnam enim rei militaris peritiam ſi exceperis, reliqua, quæ in Polybii interprete eſſe debent, ingenii & doctrinæ præſidia omnia in uno Caſaubono ſumma erant. Ecquis eſt tandem, cui excellentia laudum lateat, quæ ex divino illo ingenio exſplenduerunt, eum plurimæ, tum maximæ, & prædicatione mea longe maiores? Quid opus eſt, ſoli facem accendere? Ego vero, quod hominem ingenuum decet, hoc agam, ut nævos, quos mihi in operis huius Phidiaci excellentia deprehendiſſe videor, libere, aperteque demonſtrem; quod non inſectatione tanti nominis faciam, quod tantum eſt, ut eius claritatem nullius livoris nebulæ, nullius ætatis vetuſtas ſint obſcuraturæ; ſed cum veritatis ſtudio, quo teneor, tum reverentiæ, qua Caſauboni nomen proſequor, hoc tribuam. Ineptos enim & plane ridiculos

ne nota quidem ulla dignos habeo, ſed ſilentii condemnatione transmitto. Sed ad huius hominis iudicanda merita & ſtudia Polybiana, tanquam ad regis alicuius adorandam purpuram, pudens & venerabundus accedam, deprecans ab æquo quoque veniam auſi, a quo levitatis & obtrectationis ſuſpicionem & herois excellentia, & ætatis, quam nunc ago, ſedatio excludit. Ἕλεως δὲ καὶ ἵππις ἡμῖν γενέσθω καὶ ὁ τοῦ Διὸς Ἡρακλῆς, ut illo Libanii Orat. Morell. p. 659. in fine utar. Spectanda igitur eſt primo loco Caſauboni in conſtituenda Polybii græca oratione fides, tum latinæ interpretationis ratio, cætera denique acceſſoria quædam ornamenta, cuiusmodi ſunt lemmata, (quæ vulgo dicunt) & ſynopſis chronologica & index. Nam commentarios in Polybium ipſi non licuit abſolvere. Sed de ſingulis his ſeorſim. Quamquam igitur & ingenio accerrimo inſtructus erat Caſaubonus, & mirifica emendandi ſagacitate, & græci ſermonis rerumque vetuſtarum tanta peritia, quanta haud facile quisquam illa memoria fuit alius, quamquam ſuppetebant codices Polybii manu exarati, iisque opibus omnibus cum adventiciis, tum domeſticis, præclare uſus eſt ad eam emendandam & ſarciendam dictionem Polybii, quæ in codicibus Hagenoënſi & Herwagiano circumferebatur mendoſiſſima & multis locis lacunoſa; fecit tamen operis magnitudo, ut in quibusdam conniveret atque dormitaret, & verum prætervideret, quod in ruderibus pravarum lectionum, tanquam ſeges in herba latebat, in aliis nimium ſecurus & fidens Vrſini auctoritate, pravas lectiones civitate velut ſua Polybiana donaret; bonis civibus vetuſtis, probis lectionibus, non in coloniam, ſed in exilium plane ablegatis. Neque hoc poſſum ſatis mirari, cur Caſaubonus, homo virtutis & ingenuitatis, quam ubique locorum præ ſe fert, ſtudioſiſſimus, ab improbitate, cupiditate, arrogantia, fraude, plagio, alieniſſimus, quippe cui, domeſticis copiis affluenti, non opus eſſet aliena appetere, nusquam tamen, quod ſciam, Fulvium

Vrſi-

Vrſinum, ne ſemel quidem, ſi bene memini, ne nomine quidem tenus, appellet, aut eo facem illam præferente, ſe per has tenebras aiat perreptaſſe, quam facem Caſaubono præluxiſſe in multis certo certius conſtat. Quæ cauſa ſit huius ἀνελευθερίας, me fateor non perſpicere. Quicquid eſt, illiberale facinus eſt & parum honeſtum. Accidit hoc quoque perincommode, ut, quæ Polybii oratio hodie a Caſaubono inde inter manus doctorum hominum verſatur iactaturque, nulla certa nitatur auctoritate vetuſtorum codicum, ſed in ſola Caſaubonini nominis dignitate conquieſcat; quod fundamentum ſane perquam lubricum & fluxum eſt. Gronovius enim, qui unus poſt Caſaubonum exſtitit Polybii editor, nil egit aliud, in græca quidem oratione, quam ut quam a Caſaubono traditam acceperiſſet, eandem plane redderet atque propagaret, quod exemplum hodie ſequimur, & ſequi neceſſe habemus, propter ſæculi ſtultitiam, cui perſuaſum eſt, eam ipſam eſſe, neque aliam Polybii orationem, quam Caſaubonus iudicaſſet ei tribuendam. Si licuiſſet Caſaubono commentarios ſuos edere, operam videtur daturus fuiſſe, ut certo nobis conſtaret, quid quoque loco aut ingenio indulſiſſet, aut codicum manuſcriptorum, & quorum, auctoritati detuliſſet. Sed nunc ea norma nobis carendum eſt. Venio ad latinam Caſauboni interpretationem, de qua fateor me iudicem ſedere idoneum non poſſe: cum quod parum latine calleo, non ſatis quidem latine, ut ex æquo & vero conſtituere iudicium de Caſauboni latinitate queam. Sero adiicere animum ad latinæ linguæ culturam cœpi, quum mens iam occalluiſſet, & occupata ſtudiis eſſet aliis. Quod prævideo fore, alios, qui mirentur, cum audiant ex me inſcitiæ meæ confeſſionem, quibus viſus ſemper ſim nonnihil mundius, quam vulgo fieri ſoleat, latine ſcribere: alios, qui avide arreptam in meam contumeliam detorqueant meæ huius confeſſionis ingenuitatem, ut olim aliquando fuere, cum

Homerum negaſſem me πεπατηκέναι, qui totos greges iuvenum a ſe ſubornatos mihi immitterent, rogaturos illos, ut ſcholas ſibi Homericas aperirem, deridiculi cauſa. Tam lepidi ſunt, tam ſapiunt, noſtri Attici, homines emunctæ profecto naris. Sed eſto de mea latinitate, quod cuiusque erit, iudicium, defugio & eiuro perſonam iudicis in cauſa Caſauboninæ interpretationis, quam neque invidendis laudibus extollam, quod vulgo fieri ſolere novi ab illis, qui famam ſequuntur, non iudicium ſuum, quo carent; neque carpam: cum illa de cauſa, quam modo dixi, tum iſta, quod hanc interpretationem perquam raro inſpexi. Quantum tamen recordatio ſuggerit illius ſenſus, qui animum meum tum pepulit, cum locos quosdam huius interpretationis, quod raro evenit, examinandos & in conſilium adhibendos iudicarem, & quantum porro colligo ex recordatione aliorum a Caſaubono latine ſcriptorum, quæ quidem uſurpavi, ſuſpicor, hanc Polybianæ hiſtoriæ interpretationem a Caſaubono profectam, ſatis illam quidem & fidam & perſpicuam eſſe, nam ea de re dubitari vix poteſt, ſatis tamen latinam eſſe, ego equidem affirmare haud auſim. Accedo ad acceſſiones ornatus, quo a Caſaubono Polybius auctus eſt. Quæ ſunt primum ſummulæ, vel argumenti breves complexiones, fragmentis quibusque præpoſitæ; tum conſpectus rerum geſtarum a Polybio enarratarum brevi tabella concluſus & certis annorum velut areis deſcriptus: index denique rerum. De quibus ſingulis dicam breviter. Sæpenumero miratus etiam atque etiam ſum, quæ intemperiæ Caſaubonum egerint, hominem limati exquiſitique iudicii, ut infructuoſam, & ſupervacaneam, & ridiculam operam caperet, lemmata, quæ vulgo appellant, conſcribendi, eaque græca. Nulla enim illa ſunt, neque in codice Herwagiano neque in Vrſinino; unde certo certius conſtat, ea a nemine alio, quam a Caſaubono, profecta eſſe. Latina illa ſolummodo de-

diſſet

diſſet argumenta, ſi omnino opus erat, & minutis literis, ſed cui bono brevibus haud raro fragmentis indices præfigere, utroque ſermone, typorum genere prægrandi, tam longos, ut ipſa pæne fragmenta magnitudine æquent & obruant. Libri molem per ſe ſic ſatis grandem augent, nullo operæ pretio. Synopſis Chronologica egregium adminiculum eſt lectorum hiſtoriæ Polybianæ ſtudioſorum, in qua fieri poteſt, ut inſint nævi quidam & lapſus humanæ infirmitatis, ſed eos paucos ſuſpicor eſſe; iudicare illos denique non poſſum, chronologiæ veteris parum gnarus. Sed hoc debebat Gronovius curare, ut res geſtæ, in illis fragmentis enarratæ, quæ Valeſius dudum poſt Caſaubonum in lucem protulit, ſuo quæque loco in illam Synopſin Chronologicam inſererentur. Quod negotium quia ille omiſit, immemor, ni fallor, & imprudens, (conſulto enim præteriſſe non videtur) datum ſibi hoc putabunt, qui poſt erunt, Polybii editores, ut gerant, & defectum hunc ſarciant. Indicem, quem Wechelana editio adiunctum habet, Amſtelodamenſis ſeu Gronoviana repetiit, ut a Caſaubono profectum aſſentiar, tametſi omnes aiant, inducere animum non poſſum. Videtur Caſaubonus eo uſus compendio, quo hodienum utuntur, qui parva opera & brevi tempore magna ſtipendia librariorum inſtitorum mereri ſtudent, ut operam indicis conficiendi adoleſcenti alicui demandaret; aut, ſi ipſe eum confecit, neceſſe eſt, ut puer admodum fecerit, privatos in uſus ſuos, nihil dum de edendo Polybio cogitans; tempore poſt, in ipſa Polybii editione, feſtinans & trepidans, rerum agendarum oppreſſus multitudine, & otio excluſus, eum indicem, quem refingere & emendare nequiret, potius ſervarit, quamvis mendoſum, quam nullum daret. Vergit tamen animus in eam partem magis, ut indicem illum Caſaubono prorſus abiudicem. Ita enim inſcienter & infubide eſt conſarcinatus, ut, quisquis eum procudit, neceſſe

ſit, eum fuiſſe hominem omnium tardiſſimum, hiſtoriæque veteris ignorantiſſimum & ab omni elegantia alieniſſimum. Quo in indice emendando tametſi Gronovius miris modis ſuam deprædicat induſtriam, & incredibiles iactat a ſe toleratas moleſtias, faciteque credo, nihil in ea deprædicatione vanitati datum eſſe; ut eſt tamen, vel ſic recoctus ille index nihili eſt, macula præclari operis, cauda inutiliter & turpiter dependens, & plane novus eſt conſcribendus ab homine veteris hiſtoriæ inprimis perito. Commentarios, quos inſtituit & inchoavit Caſaubonus in Polybium, nil miror, abſolutos non eſſe. neque etiam ægre fero, ne quid diſſimulem. Ita ſunt abnormes & inutiliter operoſæ eorum rationes, ut deſiderium eorum æquiore animo ferre queamus. Cavendum nobis eſſe quorundam locorum Polybianorum enucleata expoſitione, cuiusmodi Caſauboninæ ſolent eſſe expoſitiones, & lectionum quarundam certitudine, id enimvero paulo fero impatientius; cæteris, quæ accumulaturus erat, e copiis lectionis ſuæ Caſaubonus de omnis ætatis militaribus inſtitutis, ultro careho; nam ſi exſtarent etiam, ego equidem illis nil eram uſurus. Ecquis tandem non eiusmodi ſilvam exhorreſcat ingredi, quaſi aliquam Hercyniam, quam non ſexaginta diebus, ſed ne anno quidem toto ſit emenſurus? Superſunt huius ſilvæ raræ quædam, velut in extimis angulis arbuſculæ, in Adverſariis Caſauboninis, quæ Oxonii in Bodleiana aſſervantur, unde ſarmenta quædam Io. Chriſtophorus Wolf, vir egregius, & ad bene de literis merendum, quoad poſſet, natus, in Caſaubonianis. Prodiit editio Caſauboniana Polybii A. 1609. Pariſiis in folio forma ſplendidiſſima, eodemque ipſo anno, Francofurti apud Wechelos eadem forma ita recocta eſt, ut paginæ huius paginis illius, ſi bene memini, & verſus verſibus fideliter reſponderent. Mihi Wechelana tantum ad manus fuit.

Annis

Annis viginti quinque poſt eadem in urbe Pariſina Polybium inſigni locupletavit acceſſione Henricus Valeſius, vir ſummus, & Caſaubono plane par: quem Valeſium in paucis magni facio. Vt Fulvius Vrſinus Excerpta Legationum dederat, ſic Valeſius Excerpta de vitiis & virtutibus dedit Anno 1634. in forma quarta. Sunt hi duo tituli duo quidam, & ne illi quidem integri, magni operis a Conſtantino Porphyrogeneto, aut ab aliis, quibus ille id negotii dediſſe videtur, ex antiquorum hiſtoricorum flore excerpti & comportati, quod olim quinquaginta titulis conſtabat, quorum nomina collegit Fabricius Bibl. Gr. T. VI. p. 492. Quo e codice Valeſius hæc fragmenta protulit, quoniam eum codicem a Nicolao Peireſcio, nomine nobili & literarum ſtudioſiſſimo altore, accepiſſet, factum ex eo eſt, ut illa Excerpta vulgo Peireſciana uſurparentur. Qua in re cum nil ornatum Peireſcium, tum magna læſum iniuria Valeſium exiſtimo. Cur diguior Valeſius Vrſino erat, qui tam inſignem iniuriam auferret? Cur excerpta Vrſinina ſeu legationum non item Auguſtinina appellitamus? Aut vehementer fallor, aut in appellandis eiusmodi fragmentis, quum res ipſa nomen aliud conveuientius non ſuppeditat, honor appellationis non domino codicis, ſed illi debetur, a quo vitam atque celebritatem & ingenii lucem accepit. Codicem enim monimenta quædam egregia priſci ævi ſervantem in poteſtate habere, quæ magna, quæ propria tandem laus erit? Signum ex auro factum ex artificis, qui ſculpſit, nomine appellatur, non e nautæ, qui aurum e Braſilia pervexit, non mercatoris, qui aurum vendidit, non domini, qui faciendum locavit, & nunc ſecum habet. De ornamentis, quæ Valeſius in Polybium contulit, quid dicam, in quibus nihil eſt, quod non ex aſſe mihi placeat; ut optem, ab eo totum Polybium ita editum eſſe. Commentarii præſentim me tenent, in quibus nihil eſt alienum, nihil ſuperfluum,

nihil tralaticium, omnia exquiſita, ſcita, inventu rara, quæ a nemine alio, quam a Valeſio, exſpectes & nanciſcaris; in brevitate concinna & velut tornata, docet lectorem, quæ ad intelligendum auctorem ſcire debet.

Conquievit ab eo tempore Polybius usque ad Annum 1670. quo & in Germania Bœclerus, & in Batavis Iacobus Gronovius, ad eum emandum conſurrexerunt. De illo prius agam, tametſi epiſtolæ, qua libellum ſuum Io. Capellano inſcripſit & miſit, diem Novembris 20. anni, quem dixi, Iacobus Gronovius autem epiſtolæ, qua Polybium ſuum patri Io. Friderico conſecravit, ſubſcripſit Cal. Martias eiusdem anni, ut Gronovianus Polybius Lectiones Bœcleri Polybianas octo menſibus anteverterit. Bœcler etiam editionem illam Gronovianam obiter commemorat, ut ſibi notam. Sed prior Bœclerus de edendo Polybio cogitaſſe videtur, quam Gronovius, tum minor quoque eius opella eſt, ut breviore cum notatione transmitti queat. Cum frigeret opuſculum Bœcleri, novo titulo id librarii cupiditas amicivit, cui annus 1681. inſcriptus eſt. Sed lectiones illæ Polybianæ non niſi ſemel ſunt typis excuſæ A. 1670. unde emendari velim errorem illum, in quem illa fraus me coniecit, cum aliquo loco mearum Animadverſionum mirarer, cur Bœcler nusquam Gronovianam editionem Polybii commemoraret. Lectiones Polybianas inſcripſit Bœclerus opuſculum ſuum, quod nihil pæne contineret, quam lectiones a vulgata Wechelana diſcrepantes e codice reipubl. Auguſtanæ excerptas. Rogaverat enim eius uſum atque impetraverat, quod decreviſſet, editionem Caſauboninam vel Wechelianam Polybii eadem forma maiori recoquere, cum excerptis Valeſianis & fragmentis diligentius conquiſitis, & commentariis Caſauboni inchoatis, & notis quibusdam ad rem militarem pertinentibus. (ipſa reddidi Bœcleri verba e p. 178.) Dimiſerat etiam (ut

(ut pergit ipſe narrare) Argentorato ſpecimen aliquot foliorum prorſus ad exemplum modo laudatum expreſſorum. Sed exitum res non habuit. Interea prodiit editio Gronoviana, quæ res Bœclerum permovit, ut copiolas ſuas, quas conſcripſiſſet ad Polybium ornandum, (nam omnes omnino, quæ ſuppeterent, eduxiſſe videtur) in aciem educeret. Sed poterat opera illa ſuperſedere. Contemnendæ ſunt illæ copiæ, & nullius pæne uſus. De ſuo enim plane nihil dedit; neque erat Bœcler Polybio par edendo; & quicquid lectionum protulit, id omne fere dudum in codice Hagenoënſi & Herwagiano maxime, fuerat prolatum, ut plane nihil novum protulerit. Codex enim ille Auguſtanus dudum fuerat a Xyſto Betuleio, Rectore ludi literarii Auguſtani, cum illo codice, quem Herwagius ad ſuam editionem adhibuerat, ſeu cum Mendoziano, collatus, & ex hoc ſuppletus, deinde Baſileam miſſus, ut Wolf. Muſculus eo ad concinnandam ſuam verſionem latinam uteretur. (v. Lect. Polyb. Bœcl. p. 174.) Ipſæ variantes lectiones a Bœclero inde repetitæ cum in ſe non ſunt graviſſimæ fructuoſiſſimæque, tum dudum ante vulgatæ proſtabant, & in omnium manibus verſabantur, magna denique cum ſupinitate excerptæ a Bœclero ſunt, nullis pæne locis indicatis, qui ſedes varietatis cuiusque eſſent, nullis iudiciis lectionum adſperſis, verbo, nullo ſale, nulla elegantia, ut facile conſtet, quid de Bœclerana Polybii editione fuiſſet exſpectandum, ſi ſucceſſum habuiſſet. Quid enim de eo ſperes, qui, cuius auctoris editionem receperit, eius ne fortunas quidem codicum editionumque teneat, careat editionibus principibus, unde quæque ducta ſit, ignoret, qui codex uſurpatus iam ſit, qui minus, quod cuiusque codicis pretium, neſciat. Turpis eſt & pudenda eiusmodi ſocordia.

Multo elegantior & exquiſitior atque fructuoſior eſt opera Polybio a Iacobo Gronovio navata, qui non ſolum modo,

modo, quicquid opis conquirere poſſet, conquiſivit, quicquid copiarum conſcribere, conſcripſit, e libris editis pariter atque ſchedis manu exaratis, & ex ingenio denique ſuo, iuvenili quidem illo tum, ſed magna iam promittente, & haud ſcio, an præſtante etiam maiora, quam poſtmodum præſtitit. Nam tametſi Gronovius in Polybio tyrocinium ſuarum literarum ponebat, ut videretur in dolio figlinam diſcere velle, ego tamen is ſum, qui de Gronovii hac opera Polybiana ſic ſtatuam, quicquid commentationum ad græcos auctores a Gronovio ſit poſtmodum profectum, quod a me quidem ſit oculis uſurpatum, uſuque cognitum & perſpectum, id huic operæ Polybianæ aut ſecundum eſſe, aut certo non multo ſuperius. Vſu venit interdum, ut quæ ingenia in pueris ſpem de ſe maximam feciſſent, & fructus nobiliſſimos protuliſſent, illa, ætate matureſcente, paulatim degenerent, & a ſe deſciſcant, ſpemque ſuam fruſtrentur. Id quod in Iacobo quoque pæne videtur eveniſſe. Sed & adventitiis ornamentis commendabilis eſt hæc editio, quibus ſuperiori præſtat. Acceſſerunt enim hic fragmenta Valeſiana, cum Valeſii ad ea annotationibus, tum Merici Caſauboni notulæ ad quinque primos libros Polybii, qui quanquam magnis intervallis a divinitate paterni abeſt ingenii, non tamen plane contemnenda neque aliena loquitur, ſed ſæpe audiendus eſt, & magno inprimis eo beneficio ſibi nos obligavit, quod patris, Iſaaci, coniecturas de Polybianæ orationis emendatione, quas ille ſæpe in latina interpretatione ſecutus eſt, ex eius ſchedis protulit. Excipiunt F. Vrſini notæ ad Excerpta legationum. Sed cur emendationes eiusdem ad codicem Herwagianum omiſit Gronovius? Cur, cum Vrſini præfationem ad Cardinalem Granvellanum, non illam ſpernendam quidem, ſed neque rurſus plane neceſſariam & Valeſianæ multis partibus inferiorem, redderet, nil curavit, Henrici Valeſii perdoctam ad Excerpta ſua præfationem reddere,

dere, tot ſcitis, tot exquiſitis animadverſionibus refertam, ut ſunt omnia Valeſiana, ut, qui Polybii & græcarum omnino literarum ſtudio teneantur, eorum quam plurimum interſit eam legere. Cur fragmentorum ab Vrſino Polybio imputatorum quædam omiſerit, id quærere nil attinet, & ſuſpicari in promtu eſt. Intelligebat enim, ea Polybii non eſſe. Eſt ſane magna in his cautio adhibenda, in quibus labi perquam facile eſt: & lapſum ſæpius Vrſinum docuit Valeſius in illa eadem præfatione. Non ſatis confidi poteſt, quæ cuiusque auctoris fragmenta ſint in eiusmodi Collectaneis, quibus magna dominatur confuſio & permutatio nominum, ut in Stobæo. Sed ad laudes operæ Gronovianæ redeo, in quibus hæc quoque eſt, quod diligentius conquiſita ſint Polybii fragmenta, quam ante factum eſſet. Probanda quoque Gronovii induſtria in corrigendis & demonſtrandis interpretationis Caſaubonianæ labeculis, ſi quid, ut par eſt accidere in opere tam gravi & tam longo, vir ſummus aut feſtinans, aut calami aut memoriæ errore omiſiſſet, aut ſecius exaraſſet. Optandum erat, ut hanc quoque operam dediſſet Gronovius, ut fragmenta legationum & Valeſiana in unum conſequentem ordinem conſtrueret, qui, quantum eius fieri ex ſola coniectura poteſt, proxime accederet ad illum primigenium, quem olim in libris adhuc integris obtinebant; qui ordo haud raro ſatis eſt dilucidus atque inſignis. Erat illa ratio non parum lucis rebus ipſis illatura, memoriamque rerum narratarum altius animo infixura.

Quæ ſecundum Gronovium ſuperiori & hoc maxime ſæculo ad ornandum Polybium diligentia virorum doctorum & elegantium contulit, nihil horum omnium licuit nobis oculis uſurpare. Quare de his dicere ſuperſedebo, quæ noſtri homines melius tenent, ut rerum illi vetuſtarum paulo minus ſtudioſi, ita earum, quæ hodie geruntur in rep. literaria, diligentiores; contra atque ego ſum.

Neque

Neque dubito, his de rebus abunde dictum esse in præfatione ad Polybium germanicum annis aliquot ante editum; ut nihil superfit, quam ut de mearum ad Polybium animadversionum ratione brevibus exponam.

Operam itaque id maxime dedi, ut e primis quarumque particularum editionibus, ut Hagenoënsi, in primis quinque libris, Herwagiana, in eclogis duodecim proximorum librorum, in excerptis Vrsini, eruerem veras lectiones, easque approbarem, aut ubi ab hoc desererer præsidio, probabili coniectura mendas vulgarium librorum eluerem, tum ut mentem auctoris obscuram expositione declararem, denique, ut vim verborum græcorum, si quod occurreret abstrusius, aut ab usu remotius, & Polybio proprium, paulo etiam operosius enuclearem. In quo vereor, ne sint, quibus μεγαλειωδῶς & insolentius me gessisse videar. Quod eorum iudicium tantum abest, ut mirer, ut ipse pæne sim probaturus. Personam enim ipse mihi ultro imposui alienissimam ab ingenio meo. Sed urebat me quorundam contumelia, qui meis ad græcos auctores animadversionibus ieiunitatem exprobrarant; quos ut ulciscerer, repente me cepit impetus, exempla dictionum græcarum ex indicibus, quibus instructus essem, coacervandi, & dictionum græcarum vim, rationemque & natales veluti demonstrandi, sed subito resedit rursus, id quod necesse erat fieri, ille impetus, non a natura insitus, sed ex tempore natus. Cum sesqui mensem fere hanc febrim toleraſſem, cœpit eius me pœnitere, redii ad sanam mentem, hoc est, ad illam mihi cognatam & adamatam humilitatem, atque siccitatem & maciem; postquam id consecutus eram, quod volebam, ut illis censoribus vitio creatis planum facerem, si quis, qui græce quidem sciat, bonis & locupletibus instructus sit indicibus græcorum auctorum, ei multo esse factu facillimum, ut farragines disputationum de verbis conferat, & materiam lexicis dignam comportet; multoque

que citius atque multo facilius ingentia eiusmodi commentariorum volumina conſcribi, quam exiguos libellos criticarum, quas appellant animadverſionum. Paucorum hoc eſt, illud multis datum, ingenium his dominatur, illis in induſtria omnia ſunt. Centeni centones conſarcinent Burmannianos, ſed Caſaubonianas, aut Valeſianas, aut, ſi recentiora exempla volumus, Bentleianis & Hemſterhuſianis ſimiles emendationes, easque numero multas, vix centeſimus quisque pariat. In illo genere aſſiduitas quædam enotandi & in adverſaria conferendi, ingeniumque aliquod philoſophicum, quod appellant, cernitur, in rebus confuſis diſponendis, ſedulum & ſolers, quod ingenium ſæpe tardioribus etiam ineſt. Sed ſagacitas critica, rarum naturæ donum, aſſiduitate parari nequit. Cum igitur, quod dicebam, menſem unum & ultra, illo mirifico paroxyſmo laboraſſem, ut diſputationes conſcriberem, lexico græco, quam huic animadverſionum generi convenientiores, cepit me rei inſuetæ & ingratæ, ipſique mihi deſpectæ atque deriſæ, tædium; & redii ad naturam meam. Habetis cauſam, cur ad librum Polybii ſecundum & tertium diſputationes de dictionibus græcis paulo ſpiſſiores attulerim; in reliquis, ab aura illa abterrana deſertus, ſim adſtrictior & propoſiti tenacior atque conſtantior.

Declarando Polybio partem ſolummodo quandam meam conferre libuit, non omnia exſequi munia, quæ aut poteram aut debebam. Sciens enim volensque nonnulla præterii, quæ ſi profeſſus Polybii editor transmittat, vix ille reprehenſionem effugiat. In quibus maximum hoc eſt, qui lectionis cuiusque auctor ſit, quæ fides, conſtituere; tum auctores alios utriusque linguæ, qui Polybio uſi ſunt, ad eum exigere, Plutarchi, ut hoc utar, vitas Arati & Philopoemenis, et Livii imitationes Polybianas; poſt, videre, num inſint Polybio dialecti Macedonicæ, aut Alexandrinæ, veſtigia, et num a verſione

τῶν

τῶν LXX poſſit lucem accipere. Memineriut quoque locos quinque primorum librorum in fragmentis recurrentes, qui non pauci ſunt, inter ſe comparare, & mutuo emendare. Sed ſupereſt magnus labor, & haud ſcio, an humano maior ingenio, Chronologiam Polybianæ hiſtoriæ, a Caſaubono inchoatam magis, quam perfectam emendandi & rationes temporum, in quibus narratio Polybiana verſatur, conſtituendi; quod effici vix poſſe videtur per ſceleratorum hominum ſtultitiam, qui artus Polybii ita laceraruut, & diſſiparunt, et permiſcuerunt, ut pæne nihil agnoſcas. Sed hæc & alia huius generis fructuoſa & neceſſaria curabit ille præſtare, qui Polybium nova editione reddet. Mihi ſatis eſt, pro virili mea, ſi non multum, aliquid tamen ad decus Polybii non plane pœnitendum contuliſſe. Ita bene vale, Lector æque.

LEXICON POLYBIANVM.

Primus numerus Librum indicat, alter Caput, tertius ſectionem vel verſum capitis. Litera n indicat Notam vel Adnotationem, ubi de verbo vel phraſi uberius exponitur. Fr. hiſt. *indicat fragmenta hiſtorica, et* Fr. gr. *fragmenta grammatica, quæ ſub initium Tomi quinti collecta exhibentur.*

A.

Ἄβακιον, τὸ, abacus, tabula calculatoria. *οἱ ἐν τοῖς βασιλείοις παραπλήσιοί εἰσι ταῖς ἐπὶ τῶν ἀβακίων ψήφοις*, 5, 26, 13.

Ἀβασάνιστος, intentatus. *μηδὲν ἀβασάνιστον μηδ' ἀπέραντον ἀπολιπεῖν*, 4, 75, 3.

Ἄβατος. 1) *locus*, quem adire vel ingredi non licet. *οἷς ἄβατος ἦν ἡ θρέψασα*. 13, 6, 4. *τὸ τοῦ Διὸς ἄβατον ſc. ἱερὸν*, 16, 12, 7. (*opp.* ἔμβατος.) 2) *fluvius*, qui vado tranſiri nequit, 1, 75, 5. 2, 32, 10. 4, 70, 7. 5, 22, 2. 16, 7, 7.

Ἀβέβαιος. *τὸ ἀβέβαιον καὶ δυσφύλακτον τῆς τύχης*, 15, 34, 2.

Ἀβεβαιότης. *τὴν ἀθεσίαν αὐτῶν καὶ τὴν ἀβεβαιότητα*, *Fr. gr.* 6. *niſi poſterius vocab. interpretationis cauſa adjectum eſt a grammatico.*

Ἀβλαβής. 1) *paſſive*; illæſus. *τὴν Λιβύην εἰς τέλος ἀβλαβῆ διαμένουσαν*, 1, 20, 7. *ἀβλαβῆ τὴν πατρίδα ἀπολαβεῖν*, 2, 61, 10. *Adde* 7, 8, 7. *&c.* 2) *active*; *ἀβλαβῆ τὴν ἵππον αὐτοῖς ἐσομένην*, nihil eis nociturum equitatum; 9, 4, 2. *ἀβλαβέστερος*, cum minori damno & periculo conjunctus; 1, 35, 7.

Ἀβλεπτεῖν. *ἀβλεπτοῦντες*, oculos claudentes, conniventes. *Fr. hiſt.* 45. *ἀβλεπτοῦντες τὸ πρέπον*, decorum non reſpicientes, honeſti rationem non habentes; 30, 6, 4.

Ἀβλεπτήματα, peccata, *Fr. gr.* 1.

Ἀβοήθητος πληγή. *ἀβοήθητον ἕλκος, καυὸν, vulnus, ulcus, malum* inſanabile, cui adferri nequit remedium; 16, 4, 12. 1, 81, 5. 14, 4, 6.

Ἀβουλία, imprudentia, 1, 31, 1. 1, 37, 6. 11, 2, 7. 30, 9, 21.

Ἀβούλως, inconſiderate, 1, 11, 5.

Ἀγαθός. 1) ἀγαθοὶ οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων, οὐκ ἐκ τῶν κατὰ λόγον, ἀλλ' ἐκ τῶν συμβαινόντων ποιεῖσθαι τὰς διαλήψεις, amant, ſtolent *judicare*, 21, 5, 6. *niſi ita intelligendum*, non ſunt habiles ad judicandum ex eo quod rationi eſt conſentaneum, ſed tantum ex eventu. 2) ἐπ' ἀγαθῷ. ἐπ' ἀγαθῷ πᾶσι γενόμενος, omnibus utilem ſe præſtans, omnium commodis proſpiciens; 6, 2, 15. πολλὰ περὶ Ῥωμαίων εἰπὼν ἐπ' ἀγαθῷ, de Romanis in bonam partem verba fecit, multa in eorum laudem dixit; 27, 6, 13. τῆς ἐπ' ἀγαθῷ μνήμης ἄξιος, 6, 39, 2. τὴν ἐπ' ἀγαθῷ μνήμην ποιεῖσθαί τινος, virtutis laude aliquem proſequi; 16, 40, 7. *Sic* ἡ ἐπ' ἀγαθῷ μνήμη 2, 61, 6. *non ſolum eſt* mentio honorifica *obiter facta, ſed ubi* ex profeſſo laudem alicujus celebrat *ſcriptor*, & lectores attentos reddit ad praeclare facta.

Ἀγαμαι. ἀγασθῆναι τὴν μεγαλοψυχίαν, 18, 24, 5. ἐν οἷς ἀγασθὲν τὸ πλῆθος αὐτοῦ τὴν προαίρεσιν, 40, 8, 11. *Valeſius*, ἐν οἷς *vertens cujus rei cauſſa*, ἐφ' οἷς *in animo habuerat. Verba* ἐν οἷς *ad* προαίρεσιν *referenda*; multitudo admirans, laudans ſtudium ejus quod his rebus ille teſtatum fecerat.

Ἀγαναπτεῖν. ἀγαναπτῶν *perperam editum erat* 3, 80, 4. *pro* ἀγωνιῶν.

Ἀγγελία, nuncius, 3, 61, 8. ἀγγελίαν *mendoſe dabant* mssti 11, 2, 7. *pro* ἀγεννίαν.

Ἄγγελος. οὐχ οἷον παρακλήσεως, ἀλλ' ἀγγέλου μόνον ἐδεήθησαν. 1, 72, 4.

Ἄγειν. 1) ducere, agere *prædam vel commeatum, præſertim pecora; ſive* advehendo aut adigendo, *ut* ἄγοντες καὶ φέροντες συνεχῶς τὰς ἀγοράς. 1, 18, 5. *ſive* abigendo & avehendo, *ut* ἄγειν καὶ φέρειν τὰ τῶν πέλας. 4, 27, 2. ὅσα δυνατὸν ἦν ἄγειν καὶ φέρειν, 5, 13, 1. ὥστε μήτε ἄγειν μήτε φέρειν δύνασθαι τὸ στρατόπεδον τὰς ὠφελείας, 3, 86, 10.

2) ducere, adducere aliquem, veluti *in ſummum periculum*, εἰς ὁλοσχερῆ κίνδυνον ἄγειν τινα, 2, 67, 2. vinctum ducere, *nude* ἄγειν, 15, 32, 5. in ſervitutem redigere, ἄγειν ὑπὸ τὸν ζυγὸν, 4, 82, 2.

3) *ſpeciatim*, ducere milites adv. hoſtem, ſigna inferre, *& neutraliter*, progredi; *v. c.* κατὰ πρόσωπον ἄγειν τοῖς πολεμίοις, a fronte ſigna inferre, 11, 14, 6. *& ſimilia ſæpius. Eodem pertinet* 29, 9, 8. καλῶς ποιοῦντας τοὺς Ἀχαιοὺς καὶ τρεῖς ἄγειν καὶ τέτταρας μυριάδας ἀνδρῶν μαχίμων, Achæos abſque ſuo incommodo triginta quin & quadraginta armatorum millia adverſus hoſtem ducere; *niſi ibi cum Reiskio interpretari velis* æſtimari poſſe ad XXX vel XL millia.

4) *Ad*

4) *Ad mentis operationes tum animi adfectiones varie transfertur verbum.* ὑπὸ τὴν ὄψιν ἄγειν, ob oculos ponere, 29, 8, 8, *& ſæpius alias.* εἰς μνήμην ἄγειν τι τινὶ, 2, 35, 5 *&* 7. εἰς ἀληθινὰς ἐννοίας ἄγειν τοὺς ἐντυγχάνοντας ὑπὲρ τούτου, 1, 15, 13. εἰς ἔκπληξιν ἄγειν τινα περί τινος, aliquem attentum reddere ad aliquid, 2, 56, 6. *n.* 9, 22, 7. *n.* 10, 40, 4. 28, 3, 6. εἰς μέγαν Φόβον ἄγειν τινὰ περί τινος, 3, 2, 2. ἀγόμενοι ἐπὶ τὰς ἁρπαγὰς, incitati, cupiditate prædæ adducti, 4, 3, 3.

5) *Paulo variori uſu,* pro ἐκδέχεσθαι, interpretari, accipere; *ut,* εἰς ἐθελοκάκησιν ἄγειν τι, interpretari aliquid tamquam de induſtria peccatum & inſidioſo conſilio male geſtum, 27, 13, 13.

